

F W B

A N N O

1 6 6 0

*Handwritten text on the spine edge, partially obscured.*

176887





100/10

1741 Nov. 3. 95.

Crocini

nebst Mandat Hofen

vom 2. - 20. u. 23. des Monats.

des Landgrafen Ernst für Hessen-Cassel  
3. cass. Kinde. 1741.

L. IV. 44.









214 Apr 2 n




























Joh. M. Gebhardi  
1703.





ACTA DISPUTATIONIS

HABITÆ RHEINFELSÆ APVD

S. GOAREM

Inter

VALERIANVM MAGNVVM,

F. CAPVCCINVM, MISSIONARIVM

APOSTOLICVM,

&

MAGNIFICVM

D. PETRVVM HABERKORNIVM,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTOREM, ET ACADE-

MIÆ GIESENSIS PROFESSOREM, CVM

EORVNDEN COLLEGIS.

*In presentia*

CELSISSIMI PRINCIPIS

ERNESTI,

HASSIÆ LANDGRAVII, &c.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud PAVLVM METTERNICH, propè

S. Laurentium.



APPROBATIO.

**A**CTA Disputationis de præcipuis fidei Controversijs, in arce Rheinfelsæ, Illustriss. Principis Ernesti, Hassiæ Landgraviij, &c. Residentiæ loco, inter RR. PP. Capucinos ex ordine S. Francisci, & DD. Viros, Augustanæ Confessionis Theologos Darmstadinos, recens institutæ; cum nihil Orthodoxæ fidei, aut morum honestati contrarium adferant, imò Ecclesiæ Catholicæ accremento mirificè sint inservitura, à plurimis insuper summopere desiderentur, insigni bono publico typis evulgabuntur. Dabam 16. Januarij, 1652.

HENRICVS FRANCKEN, Sierstorphius, S. Theol. D. Gymnasij Laurentiani Regens, librorum Censor Ordinarius.

APPROBATIO ALIA.

**V**eritas hic sole clarior fulget, ac Lutheranismi tenebras dissipat fugatque. Hac in religionis nostræ negotio, antagonists palmam præripit, palamq; in fundamentalibus Romano-Catholicæ fidei, contra hæreses, ad multarum animarum salutem triumphum peragit. Quam inoffenso pede Lector Christianus ex Actis hisce radiantem vultu hilari conspicabitur & amplectetur prælo traditam. Dabam Colonia Agrippina, 18. Januarij, 1652.

ARNOLDVS MESHOVIVS, Lippiens. S. Theol. Doct. Pastor S. Petri, m. p.


VA



SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO:

D. ERNESTO,  
LANDGRAVIO HASSIÆ; PRINCIPI  
HERSFELDIÆ; COMITI CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ, ZIGENHAINÆ, NIDDÆ, ET  
SCHAVMBV RGI, &c.

Serenissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime.



**I**NEFFABILE Orientalibus Magis affulsisse gaudium, quando relicto Herode, in Bethlehem profecti puerum IESVM invenerunt S. Evangelista Matthæus commemorat, his verbis: Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adoraverunt eum, &c. Quid Celsitud. Vestra relicto Reformatorum cœtu, quando coram Sereniss. & Reverendiss. Domino, Archipræsule Colonienfi, Maximiliano Henrico, Archicancellario S. R. I. per Italiam, Principe Electore, utriusque Bavaria Duce, &c. professionem fidei Catholica in Dei domo, qua trium Regum est, & SS. Petri & Pauli patrocinio illustris, gaudij & quidem inenarrabilis acciderit, tametsi senserunt multi, qui coram conspexerunt; Ego & videns, & postmodum Zelum Celsitudinis Vestra legens, inter cudentum expertus sum; mihi ex animo, & in primis Celsitud. Vestra inter maximos minimus congratulatus, illam tam incredibilem, exoptatamque felicitatem, qua Celsit. Vestram è tenebris Protestantium ad lucem Evangelicam, Seraphico quodam lumine cœlitus aspirante, inextincto sydere, S. Elisabetha Thuringia & Hassia Landgravia, præfulgente, in gremium Romano-Catholica Ecclesia matris nostræ pertraxit. Hic Cels. Vestra supremum cœli Numen patefecit, quid colluvies malorum, & fœditatis hæctenus occultatum tenuit, & qua pericula illos maneant, qui A catholicorum dogmata incauti hauriunt. Vidit C. Vest. sed felici transitu averit & ista & omnes illos, quotquot fuere, qui Cels. Vest. sub favo mellis venena propinare, scabiem.



biemque dubia religionis affricare sub puritatis prae-textu conati sunt. Quae  
facillimè probatu sunt, si cuncta quaeque ad tribunal conscientiae, iustitia li-  
brâ ponderare liberet. Hac Celsissime Princeps perspexisti, fidei, sed infusa  
divinitus lumine collustratus. Viam pandisti alijs; utinam sequantur & Cels.  
Vestra vestigia premant! Habet praedecessores & Serenissimos Principes ex  
amico sanguine Neoburgicos, Brandenburgicos, habet Badenses, habet & Pa-  
latinos; & Reges & Principes habebit, ut videat olim filiorum corda ad Pa-  
tres primogenios Romano-Catholicâ fide conspicuos, conversa. Hoc votum me-  
um, hanc spem & fiduciam in scrinio pectoris Celsitud. vestra collocata volui.  
Accipe Serenissime, & Celsiss. Princeps, quae ex fidei corde, animus subiectus  
& deditissimus è calamo, ad maiorem Dei gloriam, & Cels. Vestra & Sere-  
nissima Coniugis, atque Celsissimorum DD. Principum liberorum aeternam sa-  
lutem fudit. Dabam Calend. Febr. 1652.

Celsitud. Vestrae

Humillimus Cuius,

PAVLVS Metternich, Civis &  
Bibliopola Coloniensis.

V A-





3  
**V A L E R I A N U S L E C T O R I**  
*Salutem.*



**H**AUD dubium, Amice Lector, quin avidiore tenearis desiderio rescire acta disputationis, quam refert titulus, huic scripto præfixus, quapropter gnarus eorum paucis illa expono. Disputatio fuit duplex, una ex proprio conclavi, scriptis utrinque communicatis: altera ex publico confesso dictata ad calamum. Vtramque expono.

Seriem disputationis utriusque prout de facto contigerunt, Notarius Imperialis comprehendit scriptis authenticis, quæ ponuntur ad litteram; præfatus tamen aliqua: nonnullis inter lineas additis: ac demum periodo brevi convolyo utramque disputationem ob oculum mentis, iudicaturæ de meritis disputantium.

Præmitto primam originem harum quæstionum, scilicet, scandalum illud, in quod præcipuè Celsiss. Princeps impegit, dum examinaret doctrinam protestantium, nempe scrutinium ex sacro textu, adhibendum à singulis Christianorum, quatenus sibi caveant ab erroribus in fide, quibus ipsa universalis Ecclesia, tametsi congregata in concilio generali, sit, de illorum sententia & obnoxia, & fœdata; sic ipse Princeps in suis iteratis litteris:

Inter quæ, inquit, hæc præcipuè dignâ consideratione occurrebant, quòd nimirum quisque è sacro textu de doctrina fidei censere possit, tametsi ea sub anathemate proponatur, à concilio verè generali: hoc enim scrutinium nos quidem experiebamur impossibile.

Hoc ipsum repetit præcisius in quæstione 4. quam proponit Theologis disputaturis: sic enim dicit. Sin autem quis iudicet, nec extare, neque extitisse eiusmodi hominem, aut hominum cœtum, quæritur, quid id sit, unde Christiani sibi deriuare queant, ac debeant doctrinam fidei, eiusque explanationem super sensu sacræ scripturæ, sicubi subijciatur disputationi non tolerandæ? &c.

A- Hinc ergo licet colligere, quod, ut nos Capuccini debuimus ponere nostram thesin de infallibilitate Rom. Pontificis categoricam; claram & præcisam, sic Theologos Darmstadinos identidem debuisse categoricè, clarè, & præcisè ponere, quid id sit, unde Christiani sibi deriuare queant doctrinam

A 2


fidei,



fidei, nullo homine, aut nullo hominum cœtu existente, qui non sit obnoxius erroribus in fide, quam thesin debuerunt probare.

Igitur, Amice Lector, perlege historiam harum disputationum, avidissime cognoscibundus, ultra partium disputantium magis categoricè, clarè, & præcisè posuerit thesin suam, eamque confirmaverit solidius.

*Exemplar scripti roborati auctoritate Notarij  
Imperialis.*

 **V**M Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, D. ERNESTVS, Hassiæ Landgravius, &c. propter exorta sibi, in Religionis negotio, dubia, conventum aliquot præcipuorum Theologorum Francofurti indixisset, isque ob causas, quæ iam tum ex publicis, ea de re, litteris, notæ sunt, exitum sortitus non fuisset, accidit, ut serenissimus itidem Princeps ac Dominus, D. GEORGIVS, Hassiæ Landgravius, &c. aliquoties per litteras se obtulerit, quandoquidem irritus ille Francofurtensis conventus foret, velle se ad privatum congressum Rheinfelsæ ineundum Theologos mittere.

Noluit itaque Princeps Ernestus id, qualecumque tandem indagandæ veritatis medium, ab alijs propositum, aut declinare, aut subterfugere: & cum peculiari epistola D. Petrum Haberkornium, SS. Theologiæ Doctorem & Professorem in Academia Giessensi vocasset, venit is  $2^{\frac{1}{2}}$  Decembris die, unà cum D. Balthasare Mentzero, SS. itidem Theologiæ Doctore, & Professore, tum etiam cum D. M. Georgio Eberhardo Happelio, &c. huc in urbem S. Goaris, & à Principe Ernesto in arce Rheinfelsæ omnes excepti sunt.

Patrem quidem Valerianum Magnum, qui tum Coloniae degebat, idem Princeps de adventu hoc admonuerat, & is, prout se promptum semper huic negotio ostendit, nullam moram interposuisset, etiam anticipato itinere huc veniendi, sed Rhenus exundantibus undique aquis, tum temporis turgidus, adeo omnes vias intercluserat, ut Pater ille cum socijs & collegis suis, P. Bartholomæo Wernensi, Guardiano Coloniensi, & P. Benigno Elbingensi, Concionatoribus Capuccinis, maturius huc appellere non potuerit, quam  $1^{\frac{6}{6}}$  demum mensis huius die.

A N -



5  
ANNOTATIONES VALERIANI.

*Capuccini supervenerunt die 2<sup>o</sup>. Decembris, & Darmstadini abierunt 17<sup>o</sup>.  
quapropter neglexerunt animadvertere in pleraque dicta à Darmstadinis,  
quæ hic inseruntur.*

Interea dum Darmstadini Theologi soli hic exspectant, ne occasio rei gerendæ periret, exhibuit illis Princeps scriptum aliquod, paulò ante Moguntia typis Nicolai Heyl excusum, cum hac inscriptione: Iterata littera, Cels. <sup>mi</sup> Principis Ernesti, Hassiæ Landgravij, &c. ad Theologos, ad congressum Francofurtensem vocatos: proponens inter alia ex iisdem litteris hæc, pag. 5. extantes dubitandi rationes.

, Inter quæ hæc præcipuè digna consideratione occurrebant, quòd nimirum quisque è sacro textu de doctrina fidei censere possit, tametsi ea sub anathemate proponatur à concilio verè generali: hoc enim scrutinium nos quidem experiebamur impossibile. Deinde quòd sacra scriptura in fidei essentialibus sit clara, quam tamen nobis etiam in illis obscuram esse sentiebamus. Et quòd Ecclesia à 1400. circiter annis admiserit plerasque hæreses, quam Ecclesiam nos in sacris litteris scimus appellari columnam, & firmamentum veritatis, &c. Item pag. 13. & 14. Igitur nos, deliberaturi de vera religione capessenda, cum primis supponimus virum prudentem scire debere illum Christianorum cœtum è multis, cui, ceu Ecclesiæ Christi, velit se adiungere, quamvè fidei doctrinam in ea profiteri teneatur: quapropter ante omnem disceptationem amicè postulamus à Theologis Catholicis, Augustanis, & Reformatis, indicationem propriæ Ecclesiæ ita lucidam, ut, si velimus alicui earum dare nomen, ea ultrò nobis pateat.

, Postulamus quoque nobis sufficientèr exponi illam doctrinam de fide, quæ in cuiusque partium Ecclesia sic proponitur credenda, ut illi, qui contumaciter eam pernegant, anathemate separentur.

, Signanter verò efflagitamus decisionem quæstionum, quæ inter Christianos ab ætate Lutheri periculosè controvertuntur, factam, redactamq; in libros symbolicos, aut quomodolibet aliter nuncupatos.

, Quoniam verò examen eiusmodi decisionum est opus laboriosissimū, quarimus: utrum post ætatem Apostolorum extiterit, aut existat homo, aut cœtus hominum, qui habeat infallibilem auctoritatem proponendi





di doctrinam fidei, definiendi exortas circa illam controversias, & segregandi à fidelium cœtu illos, qui sunt apertè contumaces in illam doctrinam. Sin autem quis iudicet, nec extare, neque extitisse eiusmodi hominem, aut hominum cœtum, quæritur, quid id sit, unde Christiani sibi derivare queant, ac debeant doctrinam fidei, eiusque explicationem super sensu sacrae scripturae, sicubi subijciatur disputationi non toleranda? &c.

Dominus Landgravius tradidit etiam simul D. D. Theologis Darmstadinis actionem primam P. Valeriani & Collegarum eius, impressam Moguntia<sup>æ</sup> 17. Novembris, in qua respondent quatuor quæstionibus præfatis, hunc in modum.

### ACTIO I. CAPVCCINORVM.

*Celsiss. Princeps ac Domine, D. Colendiss.*

**A**ccepimus tuæ Celsid. litteras, typo publico ad nos exaratas, quibus, post expositam animi tui prudentissimam dubietatē in doctrina Reformatorem nuncupatorum, & summum studium in perquirendo Catholicam veritatem, proponis disputationem inter præcipuas partes dissidentium de fide Christiana, eo modo, quem nos laudamus, & de auctoritate superiorum acceptamus, invocato assiduis precibus Spiritu Sancto, sine cuius numine nihil est in homine, nihil est innoxium, quo freti quatuor quæstionibus à tua Celsitudine propositis respondemus, ut postulat, categoricè, breviter & dilucidè.

*Ad Quæstionem primam.*

**Q**væ Celsitudo tua à nobis Theologis Catholicis, sicut & ab Augustanis & Reformatis expetit scire indicationem propriæ Ecclesiæ, ita lucidam, ut si velit alicui earum dare nomen, ea ultrò sibi pateat.

*Dicimus.*

**H**omines communicantes in fide cum Pontifice Romano, constituunt illum cœtum, qui solus est vera Ecclesia Christi. Huic si tua Celsitudo se velit adiungere, habet Ecclesias Moguntinensem, Coloniensem, & Trevirensem, sibi proximas, quæ communicant in fide cum Pontifice Romano.

*Ad*



7  
*Ad secundam.*

**Q**Va postulat tua Celsitudo sibi sufficienter exponi illam doctrinam de fide, quæ in cuiusque partium Ecclesia, sic proponitur credenda, ut illi, qui eam contumaciter pernegant, anathemate separentur.

*Dicimus.*

**I**N prædicta nostra Ecclesia unusquisque tenetur credere explicitè symbolum apostolicum, & implicitè (si non subsit causa, quæ requirat fidem explicitam) omnia illa, quæ circa doctrinam fidei fuerunt decreta in concilijs generalibus, approbata à Romano Pontifice: ij verò, qui contumaciter profitentur doctrinam oppositam, sunt ipso iure separati à cœtu fidelium nullo Christianorum exempto.

*Ad tertiam.*

**Q**Va Celsitudo tua efflagitat decisionem questionum, quæ inter Christianos ab ætate Lutheri periculosè controvertuntur, factam redutamque in libros symbolicos, aut quomodolibet aliter nuncupatos.

*Dicimus.*

**A**Rticipuli ab ætate Lutheri controversi inter Christianos, fuerunt decisi à sacra Oecumenica Tridentina synodo, confirmata a Pio IV. Romano Pontifice.

*Ad quartam.*

**Q**Va Celsitudo tua quærit, utrum post atatem Apostolorum extiterit, aut existat homo, aut cœtus hominum, qui habeat infallibilem auctoritatem proponendi doctrinam fidei, definiendi exortas circa illam controversias, & segregandi à fidelium cœtu illos, qui sunt aperte contumaces in illam doctrinam?

*Dicimus.*

**P**ost atatem D. Petri Pontifices Romani, eius successores, habent auctoritatem infallibilem in proponenda & declaranda universæ Ecclesiæ, ex Cathedra, doctrina fidei Christianæ: & iurisdictionem segregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant.

Ex his assertionibus potest tua Celsitudo cognoscere præcisè, sufficienter, & clarissimè, quid incumbat viro, qui velit profiteri fidem Catholicam, quam



8  
quàm nos humillimi servi tui optamus Tuæ Celsitudini sinceram. Ex nostro Conventu Moguntinensi, die 25. stylo novo, Novembris 1651.

*Tuæ Celsitudinis*

Servi humillimi

VALERIANVS *Magnus.*

RIGINALDVS *Drost /*

PAVLVS *Pisterfeld / Fr. Capucini, &c.*

Dominus verò Petrus Haberkornius cum suis collegis exhibuit suæ Celsitudini die 24<sup>te</sup> Decembris Actionem suam primam, in qua respondit iisdem quatuor quæstionibus, prout sequitur:

ACTIO I. DARMSTADINORVM.

I. N. I.

Quandoquidem huc venimus, vt Illustriss. ac Celsiss. Principi ac Domino Ernesto, Hassiæ Landgravio, &c. Domino nostro Clementiss. in religionis dubitatione, in qua illustrissima eius Celsitudo nunc versatur, fidei nostrâ operâ succurreremus, eaque ex verbo Dei scripto, ad veritatem salvificam adduceretur, atque sic tam temporali, quàm æternæ ipsius salutis consulere, & verò prædicta ipsius Celsitudo à nobis sub initium statim postulat, ut ad certas quasdam quæstiones dilucidè & categoricè respondeamus. Ideò ne non tantùm veritati religionis nostræ Orthodoxæ, sed etiam Celsitudini eius deesse videamur, præstabimus illud hoc nostro scripto (quamvis sine superiorum nostrorum, tali, scilicet, modo agendi, iussu, & proinde, citra ullum præiudicium, tantùm debito illo, quo obstricti sumus ad reddendam rationem spei illius, quæ in nobis est, & veritatem defendendam) Deum toto corde venerantes, velit veritatem illam, quam ex infallibili eius verbo monstrabimus, Spiritu suo sancto Celsitudinis ipsius pectori inscribere, inque illa eam confirmare per Christum Iesum Dominum nostrum, Amen,

I.

Postulatur à nobis, sicut & à Theologis Papisticis & Reformatis, indicatio propriæ Ecclesiæ, ita lucida, ut si Celsitudo ipsius velit alicui nomen dare, ea ipsi ultrò pateat.

*Respon-*



9  
*Respondemus.*

**E**Cclesiam, in qua scripturæ Prophetica & Apostolica convenienter docentur, & Sacramenta dispensantur, esse solum veram illam Ecclesiam, cui quilibet homo se associare potest ac debet. Illaque per Dei beneficium, quo hodie fruimur, est Ecclesia invariata Augustana Confessione, intra & extra Rom. Imperium addicta. Vtpote quæ luce doctrinæ Prophetica & Apostolica in S. Scriptura nobis per Dei voluntatem relicta, sincerè lucet. Neque ullo tenebrarum dogmaticarum illa iure accusari potest, neque hæcenus convinci potuit, aut imposterum etiam poterit. Et quoniam S. Scriptura meritò omnium hominum auctoritati præferri debet, etiam Ecclesiam Augustana Confessionis ante omnes alias eligi debere, infallibiliter sequitur.

*Huic quæstioni satisfacissent ad votum Celsissimi Principis, si, prætermisissis reliquis, nominassent v. g. Ecclesiam Darmstadinam. Ignoramus enim Ecclesias, quæ profiteantur confessionem Augustanam invariata.*

11.

**P**ostulatur, ut sufficienter exponatur illa doctrina de fide, quæ in cuiusque partium Ecclesia sic proponitur credenda, ut illi, qui contumaciter eam pernegant, anathemate separentur.

*Respondemus.*

**Q**uoniam vera Ecclesia fundata esse debet super fundamento Prophetarum & Apostolorum, quod est Iesus Christus, ideò omnis illa doctrina, quæ necessariò ad illud, iuxta S. Scripturam, pertinet, pro fundamentali haberi debet. Qualia dogmata omnibus ad salutem scitu necessaria, Catechismus in se complectitur. v. g. de lege, Symbolo Apostolico, Oratione Dominica, Baptismo & S. Eucharistia.

*Catechismorum extant aliquot centuria, quis ex omnibus complectitur Lutheranam doctrinam de fide?*

Quod si quis hæc pertinaciter rejicit, aut veram de ijs doctrinam contumaciter impugnat, re ipsa à vera Ecclesia separatus est.

*Oderunt excommunicationem latam à Iudice Ecclesiastico. Num v. g. Nestorius se ipso abdicavit se à Patriarchatu Constantinopolitano?*

Controversiæ si quæ moventur, fundamentum salutis concernentes,

B

in



in illis Christiani à suis pastoribus, ex sacra scriptura, rectè informati debent, quò sibi à falsa sententia, omni studio caveant, inque vera fide sinceri usque ad finem permaneant. Cæteroquin reliqua, quæ in sacra scriptura comprehenduntur, sine salutis iactura ignorare, non verò contumacitèr pernegare licet.

## III.

**E**ffragitatur decisio quæstionum, quæ inter Christianos, ab ætate Lutheri, periculosè controvertuntur, facta redactaque in libros symbolicos, aut quomodolibet alitèr nuncupatos.

*Respondemus.*

**Q**uæstiones illas ex S. Scriptura perspicuè decisas extare in invariata August. Conf. eiusdem Apologia, Concordia Wittenbergensi, Articulis Schmalkaldicis & Catechismis Lutheri, tanquam libris Ecclesiarum nostrarum symbolicis.

*Hæc unica thesis est categorica, clara, & præcisa, at verò, quæ est illa Ecclesia, quæ consentiat in omnes hos libros?*

## IV.

**Q**uaritur, utrum post ætatem Apostolorum extiterit aut existat homo, aut cœtus hominum, qui habeat infallibilem auctoritatem proponendi doctrinam fidei, definiendi exortas circa illam controversias, & segregandi à fidelium cœtu illos, qui sunt apertè contumaces in illam doctrinam? si autem quis iudicet, nec extare, nec extitisse eiusmodi hominem, aut hominum cœtum, quaritur, quid id sit, unde Christiani sibi derivare queant, ac debeant doctrinam fidei, eiusque explicationem super sensu sacre scripturæ, siquidem subiciatur disputationi non tolerandæ?

*Respondemus.*

**I**nfallibilem illam auctoritatem decidendi obortas controversias, & proponendi doctrinam, post Apostolorum tempora nulli homini, aut cœtui assignamus, sed soli scripturæ sacre, quæ tanquam vox Spiritus S. infallibilis, nobis veram fidei doctrinam proponit, falsam verò condemnat. Ita ut Spiritus Sanctus sit supremus Iudex, sacra scriptura verò tanquam vox Spiritus, &c. sit norma illa unica, secundum quam Ecclesia mi-

niste-



nisterialiter proponit & decidit, & quamdiu eam sequitur, omnis erroris  
 expers est, ab ea verò ubi discedit, in errorem prolabitur.

*Siquidem Ecclesia potest errare, quæsitum est, quid id sit, unde Christiani  
 sibi possint cavere ab illis erroribus. Id duntaxat debuisse poni pro thesi capi-  
 tali, qua dere nec verbum habent.*

Per scriptum in arce Rheinfelsæ, die 4. Decembris, Anno 1651.

PETRVS Haberhorn / D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

Hoc scriptum traditum 2<sup>o</sup> eiusdem, ubi fuisset consideratum à DD.  
 Theologis Capuccinis, postularunt eadem die per Celsis. Principem à  
 DD. Theologis Augustanis expressionem Canonis sacrorum librorum,  
 & nominationem versionis emendationis hisce litteris.

*Dominis, DD. August. Confessionis.*

**Q**Vandoquidem statuunt Spiritum S. esse iudicem controversiarum fi-  
 dei, & S. Biblia esse normam iudicis, desideratur specificatio libro-  
 rum canonicorum & versionis eorundem, quæ sit adhibenda in Ecclesia.

Rheinfelsæ, 16. Decemb. Anno 1651.

ERNESTVS Landg.

*Cui postulationi responderunt eadem die 2<sup>o</sup>. ut sequitur.*

**P**RO canonicis libris agnoscimus omnes & solos libros veteris Testamen-  
 ti, prout in Biblijs Hebraicis extant, & omnes Novi testamenti.

*Canones Bibliorum sunt multi, quem ex omnibus approbant Lutherani?*

Versionem eam in Ecclesia adhibendam esse censemus, quæ ex fon-  
 te authentico veteris Testamenti Hebræo, & Novi Testamenti Græco pu-  
 rissimè fuit.

*Bibliopola, interrogati de versione purissima, ignorant illam, cur non nomi-  
 natur?*

Rheinfelsæ, die 6. Decembris, 1651.

PETRVS Haberhorn / D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

B 2

Die



Die verò 15<sup>to</sup> Mensis Decemb. DD. Capuccini exhibuerunt Actionem secundam, in qua, iuxta formam disputandi præscriptam, suis argumentis probarunt thesin suam capitalem, quâ positâ reliquæ censentur probatæ huius tenoris.

## ACTIO SECUNDA CAPVCCINORVM.

*Celsiss. Princeps, ac Domine, D. Colendiss.*

**I**N prima nostra Actione edidimus sententiam Catholicam de Ecclesia Christi, de doctrina fidei, de quæstionibus disputatis ab ætate Lutheri, & de primatu Pontificis Romani, hæc porrò Actione imus confirmatum eandem sententiam Catholicam.

Sed prius distinguimus Iudicem Ecclesiasticum à Theologo.

Iudex Ecclesiasticus Iurisdictione directiuâ proponit, & declarat doctrinam fidei Christianæ, quam, qui non crediderit, condemnabitur, & coërcitiua damnat hæresin, & separat hæreticum à cœtu fidelium. Theologus verò caret omni potestate coërcitiuâ: directiuam autem habet sine ulla iurisdictione, scilicet, non aliam ab illa, quam exercet Orator supra Auditores, vel ad summum Magister supra discipulos.

Non tamen negamus nonnullos Theologorum sibi conciliare auctoritatem à doctrina, & à sanctitate, alios infamiam, & suspicionem erroris ab ignorantia, & moribus corruptis, quapropter qualitates personales Theologorum distinguendæ sunt a pondere argumentorum.

Hinc doctrinæ gratiâ, Decretum legitimi Iudicis de doctrina fidei dicimus argumentum Catholicum, quatenus obligat uniuersam Ecclesiam. Sententiam verò Theologi de doctrina eiusdem fidei dicimus argumentum Theologicum.

Quoniam verò Tua Celsitudo, pertasa improbi laboris in discutiendis omnibus, ac singulis fidei articulis, postulat à nobis, sibi confirmari unum primatum Pontificis Romani, siquidem eo concessio, securi communicamus in fide cum illo, candidè fatemur non extare argumentum Catholicum ex sacro textu, quod inferat hanc thesin à nobis positam in prima actione.

Post ætatem D. Petri Pontifices Romani successores eius habent auctoritatem infallibilem in proponenda, & declaranda uniuersæ Ecclesiæ ex  
cathe-



cathedra, fidei Christianæ doctrina, & iurisdictionem segregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Hanc, inquam, thesin non quimus inferre ex solo textu sacro, siquidem in Biblijs nulla fit mentio Pontificis Romani, sed neque ab auctoritate Iudicis ecclesiastici possumus præcisè sine argumento theologico confirmare illam thesin. Nos enim, inter decreta ecclesiastica, fidem concernentia, nullum scimus, quod Pontifici Romano tribuat expressè infallibilitatem auctoritatis; probamus tamen ab auctoritate Iudicis ecclesiastici, has septem propositiones.

1. Pontifex Romanus est successor D. Petri Principis Apostolorum.
2. Pontifex Romanus tenet primatum in universum orbem.
3. Est verus Christi Vicarius.
4. Est caput totius Ecclesiæ.
5. Est omnium Christianorum Pater.
6. Et Doctor.
7. Cui à Domino nostro Iesu Christo in Beato Petro tradita est plena potestas pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam. Patres enim Oecumenicæ Florentinæ synodi cum Eugenio IV. Pontifice Romano quaestionem de primatu Pontificis Romani definierunt his verbis.

Item diffinimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Porro ne quis existimaret eam definitionem esse novam, cautum est his verbis.

Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur, quæ immediatè subsequuntur præfatam definitionem eiusdem Concilij.

Et quandoquidem hæc definitio non arctat auctoritatem Romani Pontificis ad Concilium sive Generale sive non - Generale: Nos eam pronuntiamus talem, qualem Christus concessit Petro, & Petrus exercuit in actis Apostolorum, qualemcunque Romani Pontifices exercuerunt, & etiam-



num exercent, non obstantibus quibuscunque contrarium sentientibus, & demum qualem Patres Oecumenicæ Florentinæ synodi definivèrè. Nimirum, Romani Pontifices damnant quamcunque doctrinam, suo iudicio contrariam fidei, nec non & anathemate segregant Doctores, pro exigentia circumstantiarum, convocato scilicet, vel non convocato concilio, sive generali, sive non generali, Cardinalibus, alijsque Theologis, quos consultare solet, nunquam deficientibus.

Præsupponimus tamen auctoritatem Romani Pontificis & Ecclesiæ, quomodolibet congregatæ in concilio, se extendere duntaxat ad definiendas quæstiones, de doctrina fidei Christianæ, & involventes doctrinam de bonitate & malitia actionum humanarum, quæ doctrinæ definiantur, non ut à privata persona, sed ex Cathedra, ut à Iudice, qui censetur sic definire, si directè definiat sub anathemate obligandò totam Ecclesiam, quæ definitiones obligant perinde Pontifices Romanos, & conciliorum Patres, ac obligantur reliqui de Ecclesia, idque immutabiliter.

Verùm, cum Patres illius concilij non tribuant Romano Pontifici verbis expressis infallibilitatem auctoritatis, illam dari theologicè argumentamur hoc modo.

Romanus Pontifex est successor D. Petri, Principis Apostolorum.

Tenet primatum in universum Orbem.

Est verus Christi Vicarius.

Est Caput totius Ecclesiæ.

Est omnium Christianorum Pater.

Et Doctor.

Cui à Domino nostro Iesu Christo in Beato Petro tradita est plena potestas pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam. Is verò, qui est successor D. Petri, Principis Apostolorum, ac tenet primatum in universum Orbem, estque verus Christi Vicarius, & Caput totius Ecclesiæ, omniumque Christianorum Pater, & Doctor, cui à Domino nostro Iesu Christo in Beato Petro tradita est plena potestas pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam, necessario habet auctoritatem infallibilem in proponenda & declaranda universæ Ecclesiæ, ex cathedra, doctrina fidei Christianæ, & iurisdictionem segregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Ergo Pontifex Romanus habet auctoritatem



tatem infallibilem in proponenda & declaranda universæ Ecclesiæ, ex Cathedra, doctrina fidei Christianæ & iurisdictionem segregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant.

Verum nec definitio illa, neque argumentum nostrum, aut aliud quidpiam eiusmodi, ea sunt, quæ possint captivare in obsequium Christi, & eius Ecclesiæ, omnem altitudinem intellectus, extollentem se adversus scientiam Dei, nisi Deus statuatur intra castra Israël, & castra Ægyptiorum columnam nubis, his tenebrosam, illis illuminantem noctem: Nisi, inquam, Deus discernat unicam veram Ecclesiam à cœtibus Hæreticorum, signis & portentis, & varijs Spiritus S. distributionibus.

Verum cum id, quod semel factum est, necessario potuerit fieri: si Pontifex Romanus definiens ex Cathedra erravit aliquando, necessario potuit errare, seu est fallibilis, nobis verò nulla occurrit ratio, cur non possit errare sapius, si semel erraverit: quapropter præfatam infallibilitatem non urgebimus, si unus error Romani Pontificis tam certò confirmetur, quàm certò v. g. constat Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum definivisse ex Cathedra Patriarchali hæresim manifestissimam.

Nos enim tametsi existimemus Ecclesiam Catholicam non necessario errare, errante aliquo Pontificum Romanorum, tamen constantissime asserimus infallibilitatem sedis Romanæ, quo ad usque evidenti facto nobis, uti supra, probetur, vel unus error in fide Pontificis Romani, definiens ex Cathedra. Hæc est Princeps Celsiss. confirmatio nostræ thesibus capitatis, quam exhibemus, reservato nobis iure confirmandi eandem alijs argumentis Catholicis & Theologicis. Actum Rheinfelsæ, 17. Decemb. Anno 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Servi humillimi

F. VALERIANVS MAGNUS, Capucc.

F. BARTHOLOMÆUS Wernensis, FF Cap. Guard. Col.

F. BENIGNUS Elbingensis, Cap Concionator.

Eadem die 17. Decemb. DD. Theologi Augustani exhibuerunt & ipsi Actionem secundam, probativam thesium suarum, quas ediderant in prima actione, ut sequitur.

ACTIO





## ACTIO II. DARMSTADINORVM.

I. N. J.

*Probationes nostra.*

Ad I.

**I**LLAM esse Ecclesiam veram, in qua verbum Dei purè docetur, & sacramenta legitimè dispensantur, i. e. convenientèr scripturæ propheticae & Apostolicae.

*Catholici concedunt.*

Probatur 1. quia Ecclesia in sua doctrina, ut & Sacramentorum administratione, non nisi ad sacram scripturam alligatur. Eph. 2. 20. Act. 20. 20. 27. c. 26. 22. 1. Cor. 15. 3. seq. Ioann. 5. 39. Luc. 16. 31. Deut. 4. 2. Ps. 119. 105. 2. P. 1. 19. Es. 8. 20. &c.

*Frustrà probatur.*

2. Quia per Verbum Dei & sacramenta regeneramur, & renovamur, atque sic constituitur, conservatur, & ab heterodoxis catibus discernitur vera Ecclesia, seu verum Corpus Christi. Rom. 1. 16. Ioann. 17. 17. Gal. 4. 19. 1. Cor. 4. 15. Eph. 5. 27. Tit. 3. 5. 1. Pet. 1. 23. At verò illud Dei Verbum redactum est per Dei Voluntatem in scripturas, ut nobis, sit fundamentum, & columna fidei nostræ. Rom. 1. 2. c. 15. 4. Ioann. 20. ult. Luc. 1. 4. 1. Ioann. 1. 4. 1. Pet. 5. 12. 2. Tim. 3. 16. 1. Tim. 4. 13. 16.

*Frustrà.*

3. Quia illi, qui verbum Dei scriptum relinquunt, eatenus desinunt esse vera Ecclesia Dei. Ier. 16. 11. & seq. Dan. 9. 10. 11. 1. Cor. 15. 3. 17.

*Frustrà.*

Iam verò doctrinam, ut sacramentorum administrationem in nostris Ecclesijs, scripturæ S. conformem, &c. Apud Papistas verò & Calvinistas, quo ad plurima eidem difformem esse, ex inductione facilè patet.

*Hanc negant Catholici.*

Et in publicis scriptis hæctenus demonstratum fuit.

*Hæc non probantur, sed asseruntur probata.*

Ad II.

Christum esse unicum Ecclesiæ fundamentum, probatur ex Eph. 2. 20.  
1. Cor. 3. 11. &c. Conce-



*Concedunt Catholici. Frustrà probatur.*

Cui fundamento, quia arctè & necessario doctrina nostra Catechetica adharet, meritò illa inde fundamentalis est.

*Negant Catholici, illi verò nil probant.*

Ad III.

Res per se patet.

*Dicunt veritatem Confessionis Augustanae, eius apologia, &c. per se patere: Ridiculum!*

Ad IV.

Sacram scripturam esse unicam illam vocem Spiritus S. infallibilem, & decisivam omnium controversiarum, obortarum in Ecclesia, probatur.

*Quaeritur est, quid id sit, unde Christiani sibi caveant ab erroribus Ecclesiae, cum non iudicat secundum normam sacri textus. De hoc altum silentium.*

1. Quia in cultu Dei unice secundum S. scripturam incedere iubemur. Num. 15. 39. Deut. 4. 2. c. 12. 13. 14. 32. c. 17. 19. &c.

*Frustrà.*

2. Quia omnes reformationes Deo gratae, secundum S. Scripturae normam instituta leguntur. 2. Reg. 23. 34. 21. 23. Nehem. 13. 1. c. 10. 29. 39. Esd. 9. 10. 11. 2. Par. 30. 1. 16. seq. c. 17. 9. Math. 21. 12. 13. 1. Cor. 11. 21. 24.

*Frustrà.*

3. Quia illi, qui extra S. Scripturam cultum instituere voluerunt, puniti sunt. Leu. 10. 1. 2. Iud. 17. 1. 2. 1. Sam. 13. 9. 10. 11. c. 15. 23. 1. Reg. 12. 28. 2. Reg. 16. v. 11. &c.

*Frustrà.*

4. Quia Christus & Apostoli suo exemplo ad scripturam S. nos remiserunt. Math. 22. 31. 32. 37. 44. c. 11. 4. 5. 10. Act. 26. 22. &c.

*Frustrà.*

5. Quia S. scriptura nobis data est in lucem & regulam fidei nostrae. Es. 19. 5. Pl. 119. 9. 105. Es. 8. 20. Gal. 6. 16. Phil. 3. 16. 2. Pet. 1. 19.

*Frustrà.*

6. Quia iudicium ultimum secundum hanc regulam habebitur. Ioann. 12. 48. Rom. 2. 16.

*Frustrà.*

Apoc. 20. 12. 15.

C

7. Quia



7. Quia sacra scriptura dicitur loqui, testari, concludere, iudicare, & prævidere. Marc. 15. 28. Ioann. 5. 39. c. 7. 51. Gal. 3. 8. 22. &c.

*Frustrà.*

Iam verò nostræ Ecclesiæ ex S. scriptura veritatem dogmatum suorum unicè derivant, & illâ, tanquam regulâ infallibili nituntur.

*Negant Catholici. Illi nil probant.*

Rheinfelsæ, die 7. Decemb. Anno 1651.

PETRVS Haberkorn / D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

His probationibus DD. Theologi Capuccini responderunt die  $\frac{18}{4}$ . eiusdem mensis, ut sequitur:

### ACTIO III. CAPVCCINORVM.

*Celsiss. Princeps ac Domine, D. Colendiss.*

POSTquam Vestra Celsitudo heri circa vesperam tradidit nobis scripturam Magnifici D. Petri Haberkorn / & duorum Collegarum eius, probativum quatuor assertionum, quibus satisfecerunt quatuor quæstionibus propositis à Vestra Cels. illius tenorem exponimus hoc modo: Probant Cœtum Augustanorum esse veram Ecclesiam Christi, hoc argumento.

Ille Cœtus Christianorum, in quo verbum Dei purè docetur, & Sacramenta legitimè dispensantur, id est convenienter scripturæ propheticæ, & Apostolicæ, est vera Christi Ecclesia.

Atqui Cœtus Augustanæ Confessionis sunt tales.

Ergo Cœtus Augustanæ Confessionis sunt vera Ecclesia Christi.

Maiorem concedimus: quapropter non consideramus tria genera auctoritatum sacri textûs, quibus confirmatum eunt primam illam propositionem.

Minorem, seu secundam negamus, quam tamen illi probant hisce formalibus verbis:

Ex inductione facilimè pater, & in publicis scriptis hætenus demonstratum fuit.

Doctrinam Augustanam esse veram sic probant.

Illam doctrinam, quæ arctè & necessario adhæret Christo, unico fundamento Ecclesiæ, est vera.

*Nostra*



Nostra doctrina est talis.

Ergo nostra doctrina est vera.

Propositionem primam seu maiorem concedimus: quapropter non consideramus auctoritates sacri textus adductas pro eius confirmatione.

Minorem verò seu secundam negamus: illi verò ne verbo quidem probant. Probationem confessionis Augustanae & aliorum librorum symbolicorum hisce verbis absolunt. Res per se patet.

Demum ponunt hanc assertionem. Sacra Scriptura est unica illa vox Spiritus S. infallibilis, & decisiva omnium controversiarum obortarum in Ecclesia.

Hanc probant septem classibus auctoritatum sacri textus.

Nos verò concedimus propositionem illam eo sensu, quem Eugenius IV. cum Generali Concilio Florentino admiserunt: Adducimus ex historia eiusdem Concilij hunc textum.

Ceterum in medio templi, atque inter duos Cleros ante sacrum Altare solium pulcherrimum posuere perquam ornatum, apparatusque aureo velamento, in quo sedit Iudex Magnus, Iustus, Dominus noster Iesus Christus, hoc est sanctum Evangelium: appositis hinc inde Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Capitibus, cereisque ante illa accensis: & erat planè illo die spectaculum visu horrendum & admirationis plenum, &c. Sacra enim Biblia vocem S. Spiritus docturi nos omnem veritatem, & mansuri nobiscum in aeternum, non arctant ad Codicem scriptum, sed aperte innuntiant traditiones scriptas divinas & apostolicas.

Quoniam verò Theologi Augustani nil eorum probant, quæ nos negamus, distinguimus personas, quæ ex sacris litteris consulunt scripturam, &c.

Hos Catholici credimus Iudices Ecclesiasticos definituros quæstiones de fide debere consulere spiritum S. ex sacris litteris, & in hoc sensu ultrò concedimus propositionem vestram. Verum quandoquidem in priore vestro scripto ponitis supremos iudices Ecclesiasticos corrupisse multiplici hæresi sacram doctrinam, existimamus neminem vestrum sibi præsumere eam infallibilitatem consulendi ex sacris litteris Spiritum Sanctum, quam non tribuitis Ecclesiae universali congregatae in concilio generali.

Quapropter postulamus à Vestra Eruditione & sinceritate declarationem categoricam & præcisam, quomodo quilibet & qualibet possint sibi





sufficienter cavere ab erroribus quorumcunque docentium ex sacris litteris fidem Christianam, & definiendum quaestiones exinde obortas. Actum Rheinfelsæ, 18. Decemb. stylo novo, 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Humillimi Servi

F. VALERIANUS MAGNUS.

F. BARTHOLOMÆUS *VVernensis*, FF. Cap. Guard. Col.

F. BENIGNUS *Elbingensis*, Conc. Cap.

Hoc verò ipso die 18. Decemb. DD. Theologi Augustani Actione itidem tertiâ confutarunt probationes thesium, quas DD. Capuccini exhibuerunt, ut sequitur:

ACTIO III. DARMSTADINORVM.

I. N. I.

*Responsiones nostra ad probationes DD. Theologorum Capuccinorum nobis insinuatæ.*

I.

**Q**Via ipsimet DD. Capuccini Theologi ultrò fatentur, se Romani Pontificis infallibilem auctoritatem, & iurisdictionem per argumentum Catholicum ex sacro textu, seu ut postea loquuntur, ex solo textu sacro desumptum, vel etiam ab auctoritate iudicis ecclesiastici (inter decreta enim ecclesiastica fidem concernentia, se nullum scire, quod Pontifici Romano expressè tribuat infallibilitatem auctoritatis) inferre non posse.

*Supponunt esse falsas omnes probationes, quæ ex sacro textu, seu ex Decreto Ecclesia ducuntur per consequentiam; ridiculum!*

Ideo nos invictè concludimus, illam tam infallibilitatem, quàm iurisdictionem Romani Pontificis, iure divino, ut & ecclesiastico, prorsus nullam esse; ultronea ergo illa Confessio nobis est responsio solidissima.

*Quàm facile triumphant.*

II.

Ad argumentum Theologicum, quo concluditur, quòd quia synodus Florentina, Romanum Pontificem vocet successorem Petri, Christi vicarium, Caput totius ecclesie, Patrem omnium Christianorum & doctorem, qui



qui primatum teneat in universum orbem, & cui in Petro sit plena potestas tradita pascendi & regendi universam ecclesiam, ideò ille necessario habeat auctoritatem infallibilem.

Respondemus 1. Totum argumentum fundatur in auctoritate Concilij Florentini admodum recentis, quod pro principio conclusionum Theologicarum nos non agnoscere DD. Capuccinis obscurum esse non potest.

*Capuccini postularunt, an Darmstadini recipiant concilia antiquiora, antequam probarent auctoritatem concilij Florentini.*

2. Negamus illa epitheta competere Romano Pontifici per modum jurisdictionis Monarchicæ, sicut in nostris publicis scriptis hæctenus tam ex sacra scriptura, quam ex antiquitate patrum luculentissimè demonstravimus; est ergo in argumento aperta petitio principij.

*Allegantur probationes factæ ab alijs. Capuccini eadem facilitate potuissent allegare confutationes earum probationum.*

3. Vim huius argumenti non agnoscunt Concilia, Constantiense, Basilicense, &c. & illi ipsi pontificij, qui quamvis talia epitheta forsitan Romano pontifici assignent, Papam tamen errare, & hæresin docere posse statuunt, etiam ut pontificem, & de facto aliquando accidisse, ita ut non in pontifice, sed in ecclesia, sive in concilio generali tantum constituant infallibilitatem iudicij, de rebus fidei, & ut concilium sit supra Papam referente ipso met Bell. l. 4. de Rom. pont. c. 2. §. 2. l. 2. de Concil. c. 13. 14. &c.

*Sufficiebat negare sepositis probationibus.*

### III.

Quoniam ipsi DD. Capuccini iterum affirmant, nec definitionem, nec argumentum illud, aut aliud quippiam nos posse captivare in obsequium Christi, nisi miracula accedant, &c. ideò nos denuò illam concessionem pro nostra sententia corroboranda utiliter acceptamus.

*Secundò triumphant.*

Miracula quod attinet, sacra scriptura illa, quæ dogmata sacra scripturæ contraria confirmant, etiam ipsius Antichristi regno apertè attribuit, & serio monet, ut ab illis nobis summo studio caveamus. Math. 7. 22. c. 24. 24. 2. Theff. 2. 9. 10. Ap. 13. 14. c. 16. 14. c. 19. 20. Aug. t. 7. de un. eccl. c. 19. inde scribit, utrum ipsi ecclesiam habeant, non nisi de divinarum scripturarum canonicis libris ostendant.



*D. Paulus dicit, miracula antichristi, fore prodigia mendacia; & tamen volunt ea esse vera.*

Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Et. T. 6. contra Faustum. Man. l. 13. c. 5. ait: etsi miracula faceretis, vobis tamen non crederemus, præstruente nos Domino & dicente: exurgent multi Pseudo-Christi, & facient signa & prodigia multa: usque adeo nil credi voluit adversus confirmatam scripturarum auctoritatem. Eadem alij patres prolixâ operâ inculcant. Imò ipsi Iesuitæ, Bellarmin. l. 4. de eccl. c. 14. §. Est autem. Greg. de Valent. t. 3. disp. 1. q. 1. p. 4. col. 95. & c. apertissimè scribunt, ex miraculis non evidentè & certò demonstrari posse ecclesiam, verùm ex ecclesia miracula.

*Si clarerent miraculis, iactarent illa.*

IV.

Pontificem infallibilem esse, non tantùm ex S. scriptura probari non potest, sed & contrarium apertè constat, ut alibi invictè probatum fuit.

*Allegantur probationes factæ ab alijs.*

Quin & multorum pontificum Rom. exempla præstant, qui de facto hæresin docuerunt, etiam ut pontifices, asserentibus ipsismet antiquioribus Papistis & concilijs, de quibus supra ex Bellarmino relatam fuit. Et nuperum concilium Tridentinum gravissimos errores in se habere, hæctenus multoties probatum est ex S. scriptura, ut proinde DD. Capuccini non ex concilio Florentino & similibus (de quorum auctoritate disputatur, & ipsi exinde concludentes manifestè petunt principium) sed ex sacra scriptura nobiscum pugnare debeant. Quæ omnia quia in nostris publicis scriptis, uberrimè ventilata extant, ideò eorum repetitione 6. l. supersedemus.

*Allegantur probationes factæ ab alijs. Si Capuccini allegassent confutationes earum probationum, disputatio fuisset absoluta, unicâ horâ.*

Rheinfelx, die 8. Decembris, 1651.

PETRUS Haberkorn/ D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

Hæc die 28. Decembris Darmstadini urgebant discessum, ut patet ex sequenti attestatione Notarij Imperialis.

IN



23  
IN NOMINE DOMINI.

Amen.

**N**OTUM sit hisce omnibus & singulis, quòd hâc teriâ secundâ, 18. Mensis Decembris, currentis huius anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi primi, indictione quartâ, regnante & gloriosissimè sceptrum tenente, Serenissimo, Potentissimo, Invictissimo Principe ac Domino, D. FERDINANDO huius nominis III. Electo Romano Imperatore, semper Augmentatore Imperij, per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Dalmatiam, Croatiam, & Sclavoniam Rege; Archiduce Austriæ; Duce Burgundiæ, Brabantia, Styriæ, Carinthiæ, Cranae, & VVittenbergæ; Comite Tyroli, &c. Regni Romanorum suæ Maiestatis decimo quinto; Hungariæ vigesimo septimo; Bohemiæ anno vigesimo quinto: Manè intrâ horam decimam & undecimam, Celsissimus Princeps ac Dominus, D. Ernestus, Landgravius Hassiæ, Princeps Herschfeldiæ, Comes Cattimeliboci, Deciæ, Zigenhainæ, Niddæ, & Schaumburgi; Me Ioannem Maternum Hoffium, publicum Cæsareum Notarium, pro tempore quoq; ad S. Goarem, Civitatis ac Iudicij Scribam requirere mandaverit; cumque in Celsitudinis suæ Aula & Conclavi; loco Residentiæ & Castro Rheinfelsæ, omni submissione comparerem, clementissimè, in præsentia Prænobilis ac Strenui Domini Valentini Edlen de Purgoltt, Celsissimo Principi à Secretis, & Aulæ Consiliarij, uti etiam Nobilis Domini Ioannis Linkern Cancellariæ Præfecto, tanquam testibus fide dignis (quos Sua Celsitudo ad maiorem capacitatem, paritèr ac meipsum Notarium a præstita fidelitate, liberos pronuntiavit quo ad hunc actum) significavit, quod eodem mane & horâ præcedente, in simili præsentia dictorum testium, multùm Reverendus & Doctissimus D. Petrus Haberhorn/SS. Theologiæ Doctor, eiusdemque Professor in Academia Giessensi, unâ cum Doctore Balthasare Mentzero & Magistro Georgio Eberhardo Happelto, qui ad clementissimam Celsissimi Principis postulationem, paucos ante dies ad conferentiam, in causis Religionis cum Adm. Rev. Patre Valeriano Magno, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Ministro, Ex-Provinciali Bohemiæ & Austriæ, advenissent, & præmemorata suæ Celsitudinis audientiam enixius sollicitassent, eaque obtenta allegassent, quòd ob publicam in Academia professoram, & urgentia sui officij negotia, hisce in locis ultrâ commorari, aut sese detinere nequirent, attento quòd ad hanc controversiam debitè deducendam, longius temporis spatium requiretur, se autem ex loco suæ habitationis sententiam suam in scriptis, & punctum Religionis postulatum singulis septimanis per ordinariam Postam transmissuros, quo & huic negotio, & incumbenti sibi domi officio satisfacerent; Ad quæ sua Celsitudo sese clementissimè declaravit, quòd ipsos contra suum beneplacitum, neque posset, neque detinere vellet ultrâ; Nihilominus cum res vix cœpisset, suaque Celsitudo deductionem scriptis peragendam, & conferentiam oretenus habendam, tum hoc, tum illud indicasset necessarium, & consultum esse decrevisset, ut ad minimum biduali aut triduali





tridud negotium ventilaretur, ipsis presentibus; quo brevi tempore ferme amplius, ac alias ob distantiam loci, & temporis intervallum, per plures menses hac in parte posset peragi; non reputando impensas Suae Celsitudinis & molestias, quibus eorum adventum procurasset, sique adeo derepente ipsos reduceret, equi aperto exponerentur periculo; Nec minus hic tam subitaneus discessus varia iudicia inter diversos excitaret: quas ob causas Dominis Theologis sua Celsitudo illud remisit cum discretionem trutinandum, & clementissime ipsos invitavit, casu quo allegata obstacula tanti essent momenti, nec ultra remanere statuisent, ad feriam usque quintam saltem commorarentur secum usque ad meridiem, & quicquid interea in isto Religionis negotio hinc inde posset tractari, absque renisu suam operam collocarent. Ad haec quidem Domini Theologi petiti dimissionis instantem denuo urserunt, tandem tamen ad magnam Celsissimi Principis clementissimam requisitionem, sese resolverunt remanere, usque ad praefatum tempus Feriae quintae, ut huic negotio pro qualitate rei porro invigilarent. De hoc successu, cui supra bene memorati testes interfuerunt, & quod hoc modo acciderit, confirmavere, postulabat sua Celsitudo a me Notario, ut hoc instrumentum conficerem, quod propter eiusdem Clementissimam requisitionem, vigore officij Notariatus uti praallegatum, propria manu scripsi & subscripsi, velut etiam signeto & impresso sigillo ordinarij annuli subsignavi. Actum Anno & die, uti supra memoratum.

Locus  
Sigilli.

IOANNES MATERNUS Hoffius, Not. publ. Cas.  
ac pro tempore Civitatis & Iudicij ad S. Goarens  
Scriba, in fide requisitus scripsit & subscripsit. m. p.

Ad superiorem tertiam actionem Darmstadinorum DD. Capuccini responderunt <sup>12</sup>/<sub>5</sub>. Decemb. prout sequitur.

#### ACTIO IV. CAPVCCINORVM.

Celsiff. Princeps ac Domine, D. Colendiss.

**H**ERI Vestra Celsitudo exhibuit nobis probationes Domini D. Haberkornij, & collegarum eius, quibus conantur evincere sacra Biblia esse unicam vocem Spiritus S. definiens omnes quaestiones de fide. Nos vero dum praestolamur ab illis declarationem in nostra Actione IV. postulatam pergimus improbare, quod supponentes supremam Iurisdictionem Ecclesiasticam in fide errasse conantur corrigere illam ex sacris litteris. Dicimus ergo, quod regulae, secundum quas Christiani credunt symbolum fidei, & dirimunt quaestiones circa illud exortas, sunt duae. Una  
supre-



supremam supponens iurisdictionem Ecclesiasticam non errare in proponenda ac declaranda doctrina fidei, docet credere Deo revelanti symbolum fidei esse verum, & Ecclesiae, cui facta est revelatio, proponenti & declaranti praecipit credere symbolum fidei esse revelatum à Deo. Altera, supponens supremam iurisdictionem Ecclesiasticam errare in fide disponit correctionem eiusmodi errorum ex sacris litteris convenienter consultis. Regula, primo loco exposita, denominatur Catholica, alteram verò, doctrinae gratia, dicimus Bibliasticam; secundum tenorem regulae catholicae coeunt ab exordio Ecclesiae Christi in unum coetum illi Christiani, qui dicuntur Catholici. Alij verò, qui credunt secundum tenorem regulae Bibliasticae, non conveniunt in unum coetum, sed in multos, puta Lutheranos, Calvinistas, Zvinglianos, & alios eiusmodi, quos tamen, quatenus conveniunt in una & eadem regula fidei, denominamus Bibliistas.

Itaque duae regulae credendi propagarunt in orbe Christiano duas classes Christianorum, scilicet, Catholicos & Bibliistas: sub titulo Bibliistarum complectimur illos omnes Haesiarchas & Haeticos, qui supponentes Ecclesiam errasse in fide, voluerunt corrigere illam ex sacro textu: Eiusmodi fuere Paulus Samosatenus, Arrius, Eutiches, Nestorius, Macedonius, Pelagius, & reliqui omnes, qui à concilijs generalibus fuere excommunicati à coetu fidelium, quarum classium eventus fuerunt plurimum diversi: Monemus tamen tuam Celsid. nos, hoc loco, abstrahere à veritate dogmatum, ponimusque nudam facti veritatem.

Catholici eo ipso, quòd supponunt Pontificem Romanum praesse, ut dictum est, universae Ecclesiae, citra errorem in fide, recipiunt symbolum, traditum ab, Apostolis, una cum ijs declarationibus eiusdem symboli, quae editae sunt à Rom. Pontifice, cum adiuncto concilio generali, aut alio pro rei exigentia.

Bibliistae verò ab aetate Apostolorum ex sacris litteris derivarunt sibi plurimas centurias novorum dogmatum. Catholici perseverant in eadem sententia de fide, ab exordio Ecclesiae Christi, usque ad hanc nostram aetatem, quatenus immutabiliter acceptant symbolum apostolicum cum omnibus declarationibus editis per supremam iurisdictionem Ecclesiasticam, ita ut nullum unquam fuerit momentum, in quo hic coetus Catholicorum defierit esse in orbe Christiano. Bibliistae verò nullum habent, nec habere coetum, qui eatenus perseveret ab exordio Ecclesiae Christi usque ad hanc diem.

D

Ca.



Catholici excommunicarunt à suo cœtu, tanquam Hæreticos, omnes illos, illosvé solos ex Christianis, qui ausi sunt damnare ex sacris litteris doctrinam eiusdem Ecclesiæ Catholicæ, scilicet omnes Bibliſtas.

Cœtuum verò Bibliſticorum eatenus excommunicatorum, pars maxima planè defecit, quorum verò aliquid superest, id est instar ruderum devastatæ eorum Ecclesiæ: hæc de veritate facti: Nunc consideramus veritatem dogmatum & Ecclesiæ. Sic igitur probamus Ecclesiam Catholicam esse legitimam, & eius doctrinam de fide esse veram.

Cœtus Catholicorum solus à condita Ecclesia Christi nec uno momento cessavit in orbe Christiano.

Ille verò Christianorum Cœtus, qui solus à condita Ecclesia Christi, nec uno momento cessavit in orbe Christiano, necessariò est vera Ecclesia Christi, fovens doctrinam fidei veram.

Ergo Cœtus Catholicorum est vera Ecclesia Christi, fovens doctrinam fidei veram.

Quòd autem omnes Cœtus Bibliſtici, qui extiterunt in orbe Christiano, non sint vera Ecclesiæ Christi, neque foveant doctrinam fidei veram, probamus hoc argumento.

Cœtus Bibliſtarum habuerunt in orbe Christiano initium post fundatam Ecclesiam Christi, & desierunt esse.

Nullus Cœtus Christianorum habens initium post fundatam Ecclesiam Christi, & desijt esse, est vera Ecclesia Christi, fovens doctrinam fidei veram.

Ergo Cœtus Bibliſtarum non est vera Ecclesia Christi, fovens doctrinam fidei veram.

Hinc conijcere licet, quòd secundum Catholicam fidei regulam propagatur Cœtus, qui est Ecclesia Christi vera ac legitima. At verò secundum Bibliſticam fidei regulam propagatur una congeries Christianorum, quæ fit colluvies Hæresiarcharum & Hæreticorum anathemate segregatorum à Christo, & ab eius Ecclesia. Actum Rheinfelsæ, die 19. Decemb. stylo novo, 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Servi humillimi

F. VALERIANUS MAGNUS.

F. BARTHOLOMÆUS VVernensis, FF. Cap. Guard. Col.

F. BENIGNUS Elbingensis, Cap. Conc. Eo.



Eodem die DD. Augustani Theologi exhibuerunt scriptum contra probationem thesis capitalis factam à DD. Capuccinis.

ACTIO IV. DARMSTADINORVM.

I. N. I.

*Refutationes exceptionum à DD. Capucc. Theologis datarum ad probationes nostras, in actione tertia.*

I.

Ipsi DD. Capuccini videre potuerunt, nos loqui de convenientia doctrinæ & sacramentorum in Ecclesia, cum S. Scriptura prophetica & Apostolica, tanquam norma unica, perspicua & perfecta: quo modo si maior nostra consideretur, omninò aut demonstrandum est, dicta adducta ex S. Scriptura illud non probare, aut dicto sensu illis nostra maior amplectenda est. Minorem si negent, descendant nobiscum in arenam, & contrarium firmis argumentis evincant, quod nemo Pontificiorum hactenus potuit.

*Capuccini concesserunt maiorem, negarunt minorem; Cur Darmstadini fingunt se ignorare, an concesserint, an negaverint? hac sunt diverticula.*

II.

Itidem facile videre poterant DD. Capuccini, nos loqui de Christo fundamento, & fundamentali doctrinâ inde manante, prout in sacra scriptura solum nobis revelata est. Quo attento aut maior illo sensu accipienda est, aut dicta Biblia excutienda sunt! Doctrinam autem nostram catechetica in S. scriptura fundatam esse, si DD. Theologi Capucc. negent, ad speciale examen illius, ex S. scriptura, ut nobiscum pergant, necesse est, & experientur nos verba inania non fecisse.

*Capuccini concesserunt hanc quoque maiorem, negarunt minorem, quam illi non probarunt. Titulus II. Actionis Darmstadinorum est hic. Probationes vestrae.*

III.

Augustanæ confessionis aliorumque librorum symbolicorum veritatem S. scripturæ conformem, nobis in ea quaestione probare non incumbebat, sed tantum libros symbolicos in nostris Ecclesijs significare, in quibus



necessaria decisio quaestionum reperiatur; illos certè libros nobis symbolicos esse, re ipsâ, & experienciâ patere adhuc dum dicimus, nec probatione aliâ opus est.

*Repeto, titulus actionis huius est hic. Probationes nostrae. Quare non probant? sunt latebra.*

## IV.

Sacram scripturam Spiritus sancti vocem infallibilem & decisivam omnium controversiarum esse eo sensu, ut sit nobis norma, propriâ luce fulgens, & Spiritus S. mentem perspicuè ex se ipsa nobis aperiens, & non aliunde lumen recipiens, nostra dicta biblica apertè probant. Quo sensu etiam orthodoxa antiquitas sacram scripturam Iudicem dixit, & in concilijs non nisi ex illa sententiam suam desumpsit. Hunc sensum si DD. Capucc. acceptant, eis gratulamur, sin negant, errorem nobis in adductione dictorum Biblicorum demonstrent.

*Quaesitum est, quid id sit, unde christiani sibi caveant ab erroribus Ecclesiae, docentis ex concilijs generalibus, quare non revelant hoc arcanum fidei Lutheranae.*

Sic eadem dicta exclusivam apertè inferunt, quòd vox spiritus S. non nisi in codice sacro nobis indaganda & audienda sit; Traditiones verò extra illum manifestè rejiciuntur. Si hæc negantur ad specialiores discussionem dictorum Biblicorum ea de re nobiscum progrediantur.

*Non disputatur de traditionibus precise, sed queritur, quid id sit, unde quilibet, & qualibet sibi caveat ab erroribus Ecclesiae docentis?*

Tandem quod subnectitur: potuissimus & nos ad varia de Rom. Pontifice, Concilijs, Episcopis, alijsque Presbyteris, unde quilibet & qualibet de eorum legitima auctoritate certi esse queant, ut sibi ab erroribus caveant, quaesita delabi; verum cum Cardinalis quaestio hoc pacto deferatur, meritò abstinuimus, usque dum illius ventilatio aperta fuerit. Idem ergò à nobis DD. Capuccini expectent, & non devolvantur ad consequens, antecedente nondum discussio, certi, quod ubi hoc factum fuerit, nos planam & regiam eis viam etiam hac in re monstraturi simus.

*Præcipue, directe & precise quaesitum est, quid id sit, unde Christiani sibi cave-*



*caveant ab erroribus Ecclesie docentis? Pudet illos propria doctrina.*

Rheinfelſæ, 9. Decemb. 1651.

PETRUS Haberforn/ D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

Die eadem 9. Decemb. DD. Theologi Capuccini argumentantur contra Theologos Augustanos, hunc in modum.

ACTIO QUINTA CAPVCCINORVM.

*Celsiss. Princeps, ac Domine, D. Colendis.*

**H**ERI vesperi actio III. DD. Theologorum Augustanæ confessioni addictorum fuit nobis exhibita, in qua argumentantur contra infallibilitatem Rom. Pontificis à nobis unico syllogismo theologico illatam: quam actionem partiuntur in 4. partes.

Num. I. acceptant nostram responsionem, pro validissima eorum responsione, scilicet pro solidissima confutatione infallibilitatis ac iurisdictionis, quam nos tribuimus Pontifici Romano. Nos verò ad compescendum hunc præproperum triumphum, denuò fatemur sacrum textum nullam facere mentionem Romani Pontificis, & supremos iudices Ecclesiasticos in suis definitionibus, quas nos sciamus, non tribuere Rom. Pontifici definiendi, ex cathedra, expressam infallibilitatem. Quod verò illi hinc existimant, se solidissimè confutasse infallibilitatem illam, distinguimus probationem Theologicam ab illa, quam nominavimus Catholicam. Concedimus & concessimus nos non demonstrasse infallibilitatem argumento catholico: quapropter hoc titulo non vincimur, nec illi triumphant.

*Argumentum catholicum seu universale opponitur argumento particulari, cuiusmodi est Theologicum: Orthodoxum verò opponitur hæretico: sed apud eiusmodi homines cavendum est à vocabulis, quibus se contegant.*

Porro ne DD. Theologi eatenus sapius hallucinentur, repetimus, quòd textus sacrae scripturae, vel supremi Iudicis Ecclesiastici, allegatus à quavis persona privata, sine ulla eius consequentia, aut explicatione, obligat universam Ecclesiam: sin verò is, qui allegat, explicet textum allegatum, aut inde infert aliquam conclusionem, auctoritas privatae personae non obligat Ecclesiam ad sibi credendum; sed ponderanda est vis illationis & conse-

D 3

quen-





quentiæ, quæ consequentia aut explicatio potest esse tam evidens, ut obliget in foro conscientiæ, & coram Iudice Ecclesiastico. Vtrum autem nostrum argumentum theologicum sit tale, pensandum est, non ex nostris qualitatibus personalibus, sed ex pondere definitionis synodi Florentinæ, applicatæ ad infallibilitatem, de qua agitur. At verò Num. II. aggrediuntur nostrum Theologicum argumentum: Negant decisiones concilij Florentini esse principium conclusionum theologicarum: quam negationem confirmant eo titulo, quod Concilium Florent. sit admodum recens.

Postulamus ergò à DD. Theologis categoricam enarrationem conciliorum generalium, non admodum recentium, quorum diffinitiones fiat iudicio Ecclesiæ Lutheranæ, certa principia, unde inferantur conclusiones theologicæ.

Errores autem Rom. Pontificum, definientium, ex cathedra, quos asserunt in calce n. 2. & toto n. 4. Si evidenter probentur, efficient id, quod promissimus, scilicet, non urgebimus infallibilitatem illam; quod cum hætenus non sit præstitum, expectamus eorum probationem certam.

Illa quæ n. 3. dicunt de confirmatione veræ Ecclesiæ, per miracula, stuporem, nedum admirationem nobis ingerunt, unde suo loco deducemus absurditates inextricabiles.

Si ergo vestra Celsitudo perpendat accuratè per totam actionem 3. DD. Theologorum August. nil reperiet dictum contra nostram actionem 2. quam hæc duo. Non quiescimus auctoritati Concilij Florentini admodum recentis.

Aliqui Pontificum Rom. definientium ex cathedra errarunt in fide.

Horum verò nil probant, cum tamen illi ex præscripta & acceptata norma huius disputationis sic teneantur argumentari contra nostram thesin, & nostras probationes, ut nos tenemur argumentari contra eorum theses & probationes adductas, quod mox efficiemus. Miramur interea hos DD. Theologos in confirmanda sua doctrina nil eorum probasse, quæ Catholici negant, probasse tamen illa, quæ Catholici ultrò concedunt.

Nunc verò improbaturi nostram sententiam de auctoritate & iurisdictione Pontificis Rom. nullo argumento improbant, sed duntaxat asserunt fuisse ab alijs improbatam.

Quapropter postulamus ea argumenta, contra nostram thesin, nostrasq; pro-



31  
probationes, ad quæ præcisè licet respondere, concedendo, negando,  
ac distinguendo, maiorem, aut minorem. Actum Rheinf. die 19. Dec. 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Humillimi Servi

F. VALERIANUS MAGNUS.

F. BARTHOLOMÆUS *VVernensis*, FF. Cap. Guard. Co.

F. BENIGNUS *Elbingensis*, Cap. Conc.

Domini Capuccini hac ipsa Die 4<sup>to</sup>. exhibuerunt. Actionem VI.

### ACTIO VI. CAPVCCINORVM.

*Celsiss Princeps ac Domine, D. Colendis.*

**H**ODIE horâ secundâ pomeridianâ exhibetur nobis actio IV. DD.  
Theologorum August. quæ nostro iudicio continet latebras & diver-  
ticula, quatenus discessuri 21. huius Mensis exhauriant tempus à nobis im-  
pendendum confirmandæ doctrinæ Catholicæ, & reprobandæ doctrinæ  
illorum, super qua re provocamus ad iudicium Vestræ Celsit. & aliorum  
prudentium; quapropter arctati angustiâ temporis pergimus argumentari  
contra illorum aliorumque Biblistarum doctrinam de fide. Hoc modo.

Lutherani & cæteri Biblistarum docent quemlibet & quamlibet posse ac  
debere dijudicare ex sacro textu lecto vel audito, etiam totius Ecclesiæ do-  
ctrinam de essentialibus fidei, utrum concordet, aut discordet à sacro textu.

At verò illi, qui docent quemlibet & quamlibet posse ac debere dijudi-  
care ex sacro textu lecto vel audito, etiam totius Ecclesiæ doctrinam de es-  
sentialibus fidei, utrum concordet aut discordet à sacro textu, necessariò de-  
ficiunt à fide Catholica, & delabuntur in hæresin absurdam, pudendam, ri-  
diculam. Ergò Biblistæ deficiunt à fide Catholica, & delabuntur in hæresin  
absurdam, pudendam, ridiculam.

*Quandoquidem Capuccini non potuerunt elicere à Darmstadinis eorum  
thesin capitalem, conantur illam excutere hoc aculeato argumento: Hoc enim  
argumentum evertit ipsam thesin, quam in I. Actione posuerunt n. 4. nec ta-  
men voluerunt respondere.*

Habent DD. Theologi alia duo argumenta à nobis formata in nostra a-  
ctione tertia, quorum alterum est confirmativum Ecclesiæ & doctrinæ Ca-  
tholicæ, alterum verò reprobativum Cætûs & doctrinæ Biblisticæ: Roga-  
mus autem DD. Theologos August. velint in consueta forma responde-



re præfatis argumentis, habituri à nobis responsiones similes, ubi ediderint sua argumenta contra Ecclesiam & doctrinam Catholicam.

Nos enim nullum eorum argumentum deprehendimus formatum contra nostram Ecclesiam & doctrinam, cuius maiorem & minorem negare, concedere, aut distinguere valemus. Imò neque reperimus ullum textum sacrum adductum contra doctrinam catholicam: quæ enim citantur, confirmant illa duntaxat, quæ nos ultrò concedimus: & tametsi in hac illorum actione 4. excludant traditiones à norma supremi iudicis Ecclesiastici, nullum tamen textum urgent ex sacris Biblijs, probativum præfatæ exclusionis. Hisce respondemus IV. eorum actioni. Actum Rheinfelsæ 2<sup>o</sup>. Dec. 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Humillimi Servi

F. VALERIANUS MAGNUS.

F. BARTHOLOMÆUS, FF. Min. Cap. Guard. Col.

F. BENIGNUS Elbingensis, Conc. Cap.

Dies 20<sup>o</sup>. Decemb. deputata fuit disputationi vocali.

Die 21<sup>o</sup>. post prandium DD. Theologi Darmstadini discesserunt, prius exhibitis his duobus scriptis.

ACTIO V. DARMSTADINORVM.

*Hanc Actionem receperunt Capuccini Darmstadinis abeuntibus.*

*Responsiones ad actiones DD. Capuccinorum IV. & V.*

I.

**Q**UÆ in actione IV. incongruè adducuntur, & meram principij positionem in se continent, suo congruo loco refutabuntur: ordini enim certo studere nos oportet. Syllogismum autem, quòd Cœtus Catholicorum, quos vocant, à condita Ecclesia Christi, nec uno momento in orbe Christiano celsarit.

*Argumentum Capuccinorum habet, quòd cœtus catholicorum solus durat, cur Darmstadini reticent illud. Solus: in eo enim est vis argumenti.*

Brevitèr & perspicuè ita expedimus, ut distinguamus inter continuationem exteriorem ratione loci & temporis, & interiorem ratione apostolicæ &



& puræ doctrinæ. Hac constituit veram Ecclesiam, non illa solum.

*Vtraque requiritur.*

Hanc autem in Ecclesia Papistica (excepto residuo adhuc aliquo bono in Papatu) cessasse, vel ex eo saltem ad oculum patet, si hodierna doctrina Papistarum conferatur cum epistola Pauli ad Romanos, aliosque per scripta. Sic initium Ecclesiæ alicuius est vel ratione temporis & loci, sicut multa Ecclesiæ post Apostolorum tempora cœperunt, ita tamen, ut consanguinitatem loquente Tertulliano, Apostolica doctrinæ habeant, & ea de causa apostolica & veræ Ecclesiæ sint & dicantur, vel ratione novæ doctrinæ, quæ ab apostolica doctrina planè aliena, eique contraria est. Non illud, verum hoc initium, falsam facit Ecclesiam. Cum enim nostra Lutherana Ecclesia ipsam apostolicam doctrinam in se contineat, meritò vera Christi Ecclesia est, non obstante initio exteriori, ratione nominis, aliarumque rerum gestarum. Nec illa adhuc desijt esse, verum durat & durabit, Christo protegente & conservante illam. Quod si etiam externa ipsius facies immutaretur, manebit tamen quamdiu & quatenus apostolica doctrina in orbe manebit, utpote in qua essentia ipsius constituta est.

*Nimirum, si aliquando ecclesia lutherana fiat invisibilis, non propria cessabit.*

Quibus observatis omnia illa concidunt, quæ sive pro sua Ecclesia, sive contra nostram Ecclesiam DD. Capucini operosè proferunt. Cum criminatationibus autem nobis res non erit, verum illas ad suum Auctorem remittimus, quod semel monuisse sufficiat.

I I.

Quod in V. actione DD. Capuccini denuò & sic tertiâ vice affirmant, infallibilitatem Rom. Pontificis, nec ex sacro textu nec argumento aliquo Ecclesiastico seu catholico, ut vocant, probari posse, illud ipsum nunc tertiâ vice nostrum triumphum contra DD. capuccinos manifestè stabilit.

*Quam sunt proclives ad triumphum?*

Nam si ex sacro textu illa non constat, profectò in vanum illa iactatur, siquidem iam dum probavimus, sacrum textum omnia necessariò in se continere, nec extra illum aliquid, tanquam articulum fidei recipi debere.

*Non constat immediate ex sacro textu, sed mediante consequentia varia.*

Et cui non saltem suspecta esset illa infallibilitas Rom. Pontificis; cum Papistica Ecclesiæ fundamentum unicum, & tamen iuxta DD. Capucinos,

E

cinos,





cinus, de illa nil in sacro textu habeatur? Nec valet, quod de Rom. Pontifice in eo mentio nulla extet, nam infallibilitatem ipsam in eo nihilominus extare debere, quam Papa sibi arrogat, plenitudo S. scripturae exigat. Parum etiam gratia DD. Capuccini apud Iesuitas aliosque Papistas inibunt, qui illam ex S. scriptura probare allaborant. Quod si neque ex Ecclesiastico aliquo decreto de illa constat, tum licet de ea dubitare, usque dum decretum factum fuerit, prout *ὁπὸθεοῖς* Papistica habet.

*Non constat immediate, sed per equipollentiam, & consequentiam.*

Sed nec argumento aliquo Theologico, ut loquuntur, ex pondere Concilij Florentini infallibilitas Rom. Pontificis probari valet. Nam praeterquam quod, iuxta sententiam Bellarmini, argumenta theologica ante decretum Ecclesiae sint coniecturae, non necessario sequenda; Nos in nostra actione tertia ex ipsismet Pontificijs probavimus, vim argumenti illius, quod DD. Capucc. nectunt, ab illis negari. Ad quod illi planè silent.

## III.

Ceterum Concilium Florent. principium esse conclusionum theologiarum, non tantum ex eo negamus, quod sit recens, sed etiam quod nullum concilium ratione sui, principium infallibile esse queat, verum omnem valorem, non nisi vi sacrae scripturae habeat, cui si inharet, acceptandum est; sin minus repudiandum. Pro bent ergo DD. Capucc. ex S. scriptura pondus illud, quod Concilium Florent. pro Rom. Pontificis infallibilitate habere putant.

*Vtique Capuccini probassent ex sacro textu Primatum concessum D. Petro: Cui succedat Episcopus urbis; Si Darmstadini possissent suam thesin capitalem, vel mansissent diutius.*

## IV.

Romanum Pontificem etiam ut Pontificem, atque sic ex Cathedra, utique errare posse, & sapius actu errasse, probavimus ex ipsis Pontificijs, apud Bellarminum, ex quo locum citavimus. Illos DD. Capucc. refutant, si possunt, & infallibilitatem Papae nobis insuper ex sacra scriptura ostendant. Neutrum autem dum faciunt, merito illos & in hoc luccubuisse dicimus. Et exempla Rom. Pontificum, ex Cathedra errantium, v. g. Honorij, Vigilij, Gregorij VII. Iohannis XXII. Nicolai I. aliorumque magno numero adduci queunt. Imo ipse Innocentius X. in quantum  
Con-



Concilium Tridentinum, & cum eo etiam communionem S. Eucharistiæ, sub vna specie. Missam tanquam Sacrificium propriè sic dictum, transubstantiationem, invocationem sanctorum, & longè plura alia contra S. Scripturam propugnat, meritò errare dicitur.

*Hæc dicuntur, sed non probantur à Darmstadinis. Et fuerunt confutata à Catholicis, debuissent proponere argumenta præcisa, quatenus Capuccini potuissent respondere præcisè, illi enim non debuerant inquirere errores Pontificum, nam profitentur se nullum scire.*

V.

Tandem miraculis hodie nitendum non esse perspicuè ex sacra scriptura & pia antiquitate probavimus. Ad quæ si stupent DD. Capucc. cur non refutant? cur absurditates nobis non monstrant? Res loquatur, non verba iactentur. Rheinfelx, die II. Decemb. 1651.

*Non fuerat proposita thesis de miraculis. Nil porrò absurdius dici potest, quàm quòd vera miracula facta ad ostensionem veritatis nil valeant.*

PETRVS Haberforu/ D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

## ACTIO VI. DARMSTADINORVM.

*Hanc actionem receperunt Capuccini, Darmstadinis abesentibus.*

I. N. I.

*Refutationes exceptionum, responsionibus nostris à DD.  
Capucc. in actione eorum sexta oppositarum.*

I.

**N**Os latebras & diverticula, quarere, ἀποτόμως negamus, materiæ disputationis arctè inhærentes, prout rerum ordo postulat, & lex disputationum requirit, quæ vetat, cardinali quæstione dimissâ, ad consecretarias quæstiones devolvi. Repetimus ergò nostram assertionem; nos quæstionem illam de cuiuslibet scrutinio dogmatum ex S. scriptura tamdiu in suspenso relinquere, donec quæstiones à Seren. Principe & Domino, D. Ernesto nobis propositæ, & palmaria ventilatæ fuerint, nobisque quo ad illas DD. Capuccini satisfecerint. Monemus ergò illos, ut nobis ad refutationes nostras,

E 2

eis



eis in actione IV. missas, solidè & apertè, iustoque simul ordine, nihil præmittentes sive negando, sive affirmando, sive distinguendo. Quod quam diu non præstiterint, aut falsi fuerint, se respondere non posse, certò sibi persuasum habeant, nos ad alias quæstiones non abripi velle: cum alias infructuosa futura sit omnis ulterior disputatio.

*Quæsitit Celsiss. Princeps, quid id sit, unde christiani sibi caveant ab errore, cui subiecta sit Ecclesia ipsa. Cum non docet ex sacro textu; Darmstadini verò non voluerunt id exponere: sed eius loco posuerunt Normam secundum quam ecclesia ministerialitèr debet docere doctrinam fidei. Cur tantopere erubescunt ponere thesiv illam?*

I I.

Textum nullum sacrum contra Papistarum sententiam nos adduxisse, prout DD. Capucc. asserunt, tum demum patebit cum ad singula à nobis proposita, ordine concatenato sine saltu, nobis responderint, id, quod ab ipsis adhucdum expectamus. Traditiones reiici, probavimus per illam exclusivam, qua extra S. scripturam nihil tanquam cultum doceri debere, asseruimus, & illam esse plenam, & perfectam. Ad quæ dicta nobis respondeant, si possunt. Rheinfelsæ, die II. Decemb. 1651.

*Latebra, & diverticula.*

PETRUS Haberkorn/ D. m. p.

BALTHASAR Mentzerus, D. m. p.

M. GEORG. EBERH. Happelius, m. p.

DD. verò Capucc. die 22. Mensis decemb. exhibuerunt ultimum scriptum, quod sequitur.

### ACTIO VII. ET VLTIMA CAPVCCINORVM.

*Celsiss. Princeps ac Domine, D. Colendiss.*

**H**ERI accepimus à D. Haberkornio eiusque collegis mox discessuris eorum actiones, V. & VI. & considerantes dicta, scripta & facta, à 16. usque ad 21. huius mensis, animadvertimus evidenter eorundem fugam à disputatione, in disputatione verò fugam à positione propriæ doctrinæ, à confutatione nostræ, à confirmatione suæ, a versos insuper à sincero studio veritatis. Quapropter non existimamus operæ pretium quicquam aut otij, aut laboris impendere in ulteriore disceptatione cum illis, quos tamen Deo enixè commendamus. Sanè scimus idem de illis esse iudicium Vestra Cel-

litud



itud. quæ pertæsa harum nugarum palam profitetur se catholicum, id ipsum professura solemniter tempore definito, dictura insuper in Ecclesiæ proscenio causas desertæ à se Protestantium doctrinæ. Actum Rheinfelsæ, die 22. decemb. stylo novo, Anno 1651.

*Vestra Celsitudinis*

Servi Humillimi

F. VALERIANUS MAGNUS.

F. BARTHOLOMÆUS *VVernensis*, FF. Cap. Guard. Col.

F. BENIGNUS *Elbingensis*, Conc. Cap.

ET quoniam iussu Sereniff. & Celsiff. Principis ac Domini, D. Ernesti, Hassiæ Landgravij, &c. anteposita utriusque partis scripta DD. Capuccinorum pleraque quidem sub manu & copijs Amanuensis eorum: DD. Theologorum August. verò in Originali, mihi infra dicto Notario fuerunt tradita, ut præfixis Proëmio, & Celsiff. Principis propositionibus, publico scripto insertis, hæc omnia ad mundum describerem, ac in continuam hanc seriem redigerem. Idcirco hæc omnia diligentè ac fideliter propriâ manu transumpsi, eaque præviâ collatione & auscultatione, supradictis respectivè originalibus & copijs verbotenus respondere, hæc manus meæ subscriptione, nec non signeti sigillique consuetorum impressione, attestari volui. Ego

L. S.

IOANNES MATERNUS *Hoffius*, Not. publ. Cas.  
ac pro tempore *Reipublicæ Goariniæ* Actuarius in  
fidem requisitus scr. & subscr. m. p.

Hæc Notarius de historia facti, ex qua delibo nonnulla, quæ seorsum posita ob oculus mentis, iudicaturæ de utriusque disputantium meritis, ultrò innuant, utra partium disputationum melius satisfecerit muneri suo. Nos Capucc. in nostra actione prima posuimus nostras quatuor theses, & signanter illam de infallibilitate Pontificis, categoricas, claras, & præcitas.

Nos Capucc. confirmavimus eandem 4. thesin argumentis categoricis, quæ comprobata, priores tres theses necessariò sunt vera.

Theologi verò Darmstadini non posuerunt thesin, quæ satisfaceret 4. quæstioni.

Neque ea de re à Capucc. moniti, voluerunt thesin illam ponere.

Imò nec laceffiti argumento aculeato voluerunt respondere, ne proderent thesin, tantopere quæsitam ac postulatam à Celsiff. Principe Ernesto.

His accedunt nonnulla eiusdem figuræ & coloris. Quasi semper loquun-



tur in abstracto, tametsi cum violenta suspitione quòd erubescant propriam doctrinam.

Confirmant textibus sacris propositiones concedendas à Catholicis.

Propositiones verò negandas, vel non probant, vel aiunt esse sufficienter probatas ab alijs.

Ne verò nil videantur fecisse, confirmant septem classibus textuum sacrorum propositionem à nobis negandam, non tamen impugnamdam, ne concedamus illis mutare thesin capitalem.

Super hac omnia Capuccinis supervenientibus  $\frac{1}{2}^{\circ}$ . Decemb. volebant discedere  $\frac{2}{8}^{\circ}$ . eiusdem.

Itaque Amice Lector, his lectis & consideratis, cense & iudica, utra partium disputantium satisfecerit muneri suo; Capuccinæ an Darmstadini Theologi?

Nos sanè tam diu arbitramur, eos vereri absurditatem ridiculam, & pudendam thesin impressa, quamdiu eam non ponunt categoricam, claram & præcisam, scilicet, exponant præcisum modum illius scrutinij ex sacro textu, quem servare debeat Herus, Hera, & ancilla, iudicaturi ex sacris Biblijs, quamnam doctrina fidei sit vera, v.g. Concilijne Tridentini? an Confessionis Augustanæ? an Institutionum Calvinij? an doctrina Calixti? Modus verò præcisus huius scrutinij est id, unde pendet, ex illorum sententia, fides vera, Ecclesia legitima, & salus æterna, quare ergò occulitur?

## II. DISPVT.

**S**VCCEDIT disputatio II. ex confesso publico dictata ad calamum: Cum enim DD. Darmstadini urgerent disputationem vocalem cum Capucc. ij recusarunt eatenus disputare, nisi utriusque dicenda dictarentur ad calamum, disputatio congesta fuit ab eodem Notario in scriptum authenticum, cuius exemplar ad litteram sequitur, exceptis ijs, quæ ego inserui inter lineas.

EXEMPLAR SCRIPTI ROBORATI  
*auctoritate Notarij Imperialis.*

**P**ostquam Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, D. Ernestus, Hassiæ Landgravius, Princeps Hirschfeldiæ, Comes in Cattimelibo, Decia, Ziegenhaima, Nidda & Schaumburgo, &c. a Serenissimo itidem &



& Celsissimo Principe ac Domino, D. Georgio, Hassiæ Landgravio, &c. obtinuisse, ut Celsitudo Sua, Multum Reverendum, Clarissimum atque Doctissimum Virum, D. Petrum Haberkornium, SS. Theologiæ Doctorem, eiusdemque in Illustri Giessensium Academia Professore, ad discutendas aliquot Religionis quæstiones, cum Admodum Reverendo & Generoso Domino, Patre Valeriano Magno, olim Ministro Provinciali Fratrum Minorum Capuccinorum, Ordinis S. Francisci, per Böhemiam, & Austriam; modo Missionario Apostolico Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, huc Rheinfelsam mitteret: Is quoque unâ cum Viris Reverendis & Doctissimis DD. Balthasare Mentzero, SS. Theologiæ itidem Doctore, & Professore, nec non Magistro Georgio Happelio Pastore & Inspectore Alsfeldino, 3<sup>o</sup>. decembris, in Arce & Residentia Rheinfelsæ feliciter appulisset, accidit ut ex beneplacito utriusque Partis congressus & colloquiū feriâ quartâ, 7<sup>o</sup>. mensis eiusdem decembris, currentis Millesimi, Sexcentissimi, quinquagesimi primi Anni, institueretur. Cumq; in præsentia Celsissimi Principis Ernesti, Hassiæ Landgravij, &c. ex parte Catholicorum, præfatus Dominus, P. Valerianus cum suis socijs, Reverendo Domino, P. Bartholomæo Wernensi, FF. Capuccinor. Colonensium diffinitore, Custode & Guardiano; & Reverendo Domino, P. Benigno Elbingensi, Archi-Confraternitatis Dominicæ Passionis Colon. Concionatore, & Patre spirituali Capuccino. Ex altera verò Augustanorum, seu Lutheranorum parte, supradicti DD. Darmstadini: horâ circiter octavâ matutinâ: præsentibus Viris nobilissimis, strenuis, Venerandis & doctissimis: DD. Valentino de Purgoltt, consiliario principis Ernesti intimo, Aulico: Ioanne de Guibenhofse, Domino in Plessis, Supremo locum-tenente; Ioanne Herm. Nordecko, Consiliario dicasterico; Georgio Helfrico Ruppelio, præfecto Reichenbergensi; Ioanne Lunckero, Secretario intimo, Adolpho Fabricio, Concionatore quondam Aulico; & Ioanne Wernero, Reformatorum pastore in civitate ad S. Goarem; tanquam auditoribus, & Ioanne Materno Hoffio, uti Notario, seu actuario, congressi fuissent, præloquium quoddam Celsiff. princeps Landgravius linguâ vernaculâ præmittere voluit hoc tenore.

Dilectissimi Domini utriusque partis. Supervacaneum esse duco ea iam repetere, quæ antehac, tam publicis, & impressis scriptis, de colloquio, propter quadam Religionis puncta instituendo, quàm privatis, ijsque diver-





sis litteris, amicè & benevolè ipsis transmissa fuerunt. Cuius rei gratiâ etiam Dominus Cognatus, Landgravius Georgius indulfit, ut sui DD. Theologi huc adventarent. Tametsi verò, quantum ad me, ille modus, quo res scriptis discuteretur, mihi præ alijs placuerit, nec obstante hoc congressu, responsorias DD. Theologorum; ad meas sibi heri traditas litteras, alterutrinque, expecto: nihilominus hanc vocalem conferentiam, ad suam instantiam, & utriusque partium beneplacitum, ipsis deferre volui; postulans ut non tantum moderatè & absque calumnijs procedatur, verum ne quidquam absque fructu incassum tractetur, utraque pars, sua argumenta, & responsiones ad calamum dictabit: & quidem DD. Lutherani Theologi magistrum Happelium: Adm. Rev. verò P. Valerianus, D. Patrem Benignum ad conscribendum Protocolum adhibere poterunt.

At Ioannem Maternum Hoffium, Casareum Notarium tantisper, à data subiectionis Fide, liberum pronuncians hisce requiro, ut virtute Notariatus sui officio, ad hunc actum, & quæ ab utraque parte peragentur, & proponentur, sollicitè attendat, auscultet, ac sine respectu partium in protocolum transponat.

His itaque præmissis, Admodùm Rever. P. Valerianus cum socijs suis: ut & DD. Augustani Theologi, flexis genibus, & precibus devotis, Spiritum sanctum invocârunt.

Cumque surrexissent sessum capientes, protestabatur D. Haberkornius, germanicis verbis, quæ latinè sic redduntur.

Serenissime Princeps, Clementissime Domine, constat Celsitudini Vestræ, quòd nullâ aliâ ratione discursum colloquij cum P. Valeriano accepta verimus, nisi ut fieret privatim. Experimur autem non solum publicum actum hic institutum, verum singula etiam calamo excipienda esse, quæ inanis perditio temporis est, & parvæ utilitatis negotium; præterea Celsit. Vestra Casareum Notarium adiunxit, id, ut contrarium nostræ instructioni, à Clementissim. Principe nostro acceptæ, nos gravat, verumtamen modum dictandi in calamum probantes, Notarium, quem ex nostra parte nullum habemus, neque illo indigemus, obsecramus amoveri.

Ad hæc Serenissimus Princeps Ernestus cum Consiliarijs aulicis ad vicinum conclave secedens de progressu consultavit, post paululum verò rediens sessionem propriam repetijt; Prænobilis autem ac Strenuus D. Valen-  
it-



tinus de Purgoldt nomine suæ Celsitudinis, tamquam intimus Consilia-  
rius, respondit propositæ difficultati.

Satis percepit Celsissim. Princeps mentem DD. Theologorum Augusta-  
næ confessionis, quod de cæsareo Notario publico, ab hoc disputationis a-  
ctu removendo attulere: quia verò ipse indifferens est ratione sui officij,  
professione Lutheranus, nec adhibetur in præiudicium partis, sed requisi-  
tus cuicumque operam suam collocare tenetur, rationi consonum haud  
videtur, ipsum excludi debere. Attamen, si res aliquam paritura esset con-  
siderationem deadiungendo Notario cæsareo, intermittetur notariatus of-  
ficium, & aget Ioannes Maternus Hoffius personam Scribæ, & Exceptoris  
ex parte Adm. R. P. Valeriani Magni, prout D. M. Happelius, ex parte D.  
Haberkornij, in ijs, quæ ex colloquio præsentis adnotanda sunt. Ad quod ac-  
quiescebant & porrò ita colloquium inchoatum est. Admodum Reveren-  
dus autem Pater Valerianus nonnulla est præfatus, huius fermè tenoris.

Magnifici ac venerandi Domini Theologi, gaudeo, quoniam ad hunc  
discursum, à Celsiss. Domino Ernesto, Hassiæ Landgravio, Clementiss.  
Dom. nostro vocati, hoc in loco convenerimus, promittoque modestiam  
& humilitatem, meque non offensum iri, si DD. Augustani theologi, tam-  
quam Religione nobis adversarij, doctrinæ gratiâ, Pontificem Romanum  
nominaverint Anti-christum & Hæreticum, nos verò Catholicos Antichri-  
stianos & Hæreticos, aut alijs huiusmodi verbis: ac proinde existimo mihi  
datâ occasione idem licere.

### QVIBVS PRÆMISSIS.

*Initiò Admodum Reverendus P. Valerianus hanc Thesin,  
à se confirmandam proponebat.*

Innocentius Papa X. Episcopus Romanus habet infallibilem iurisdic-  
tionem, super universam Ecclesiam Christi: Rogo ergò Magnificum D.  
Haberkornium, ponant Thesin.

*Resp. D. Doct. Haberkornius.*

Domine Valeriane: Mihi ingratum non est hoc colloquium institui  
defendendæ veritatis nostræ causâ, quas partes suscipiam, divina ope, in  
me, debita modestia & veritatis studio. Hæc volo interijcere, non esse in-  
tentionem Celsissimi Principis, ut quælibet Thesis singulatim tractetur:

F

ideó



42  
ideòve priorem suam antea esse discutiendam.

*Quam profunde conditur illa Thesis.*

*Adm. Rev. Pater Valerianus petit Categoricalam Thesis suæ positionem.*

*D. Doct. Haberkornius responder.*

Quoniam ergò provocor ad reddendam rationem spei, quæ in me est, statim sententiam meam addam, scilicet, non Pontificem Romanum infallibilem jurisdictionem, eamque universalem habere, super universam Ecclesiam; Sed solam scripturam esse infallibilem, unicam, perspicuam, & perfectam NORMAM omnium dogmatum fidei, & morum vitæ, ex qua veritas salvifica certò demonstrari potest, & debet: Hæc est nostra Thesis.

*Hæc Thesis non est illa. Quæ desideratur.*

*P. Valerianus.*

Hæc Thesis vestra Eruditionis admittitur à Catholicis si tollantur duæ conditiones expressæ in Thesi; Nimirum quod sacra scriptura sit NORMA fidei unica & clarissima: Nos enim Catholici censemus Sacrum Textum habere auctoritatem super totam Ecclesiam, ita ut censendus sit Hæreticus, quisquis vel unicum textum negaverit: quapropter concedimus obligari Pontificem & Concilia omnia, nihil iudicare & definire contra sacrum textum, qui consulendus est à quolibet Christiano, tractante quæstiones fidei: difficultas verò, vel discordia inter nos & vos non est; an debeamus consulere Spiritum sanctum ex sacris litteris, sed an Pontifex Romanus cum Concilio Generali, aut alio, definiens aliquid, consultis sacris litteris, definiat citra errorem, cum iurisdictione obligante universam Ecclesiam? an verò quilibet & quælibet, quatenus sibi caveat ab errore, cui sit obnoxia suprema iurisdictione Ecclesiastica, debeat privato suo scrutinio consulere Spiritum sanctum ex sacris litteris? desideratur ergò, in hac thesi posita, expressa vestra sententia de hac quæstione, quæ inter nos & vos controvertitur. Iam igitur rogo DD. Theologos, velint adiungere suæ thesi sententiam Ecclesiæ Lutheranae de proposita quæstione: addam & explicationem meæ thesis.

*D. Haberkornius.*

Pontificem Romanum esse infallibilem adhuc negamus, & in eo ipso patet nostra contradictio, quam opponimus Pontificijs; dum sacram scripturam dicimus Normam unicam, perspicuam, & perfectam, quo ad omnia necessaria, & quamlibet Ecclesiam ex innato sacrae scripturae lumine, si ei

fi.



fideliſſimè attendat, veram ſententiam demonſtrare poſſit, ut non opus ſit extrinſeco lumine infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti, quam ſolus PAPA ſibi præſumit. Quod ſi obſervet Eccleſia quælibet, tum poteſt illa benè conſtituta quoslibet auditores ab omni errore præſervare & præmunire.

*Neque hæc theſis eſt illa, quam deberet ponere, heu quàm profundè latet!*

Hanc infallibilitatem, perſpicuitatem, & certitudinem ſacræ ſcripturæ probatum habemus, quam PAPÆ denegamus, & dicimus, quòd ſicut quodlibet miniſterium errare poteſt, ſi non attendat ſacræ ſcripturæ, ita etiam Papa errare poteſt, ſi non quo ad omnia ad NORMAM ſacræ ſcripturæ incedit, & illam infallibilitatem Pontificis Rom. nullo modo probari poſſe dicimus: Expectamus ergò argumenta quibus illa præſumatur demonſtrari.

*P. Valerianus. Sic argumentor:*

Innocentius Papa X. ſuccedit Petro, ſupra quem fundata eſt Eccleſia, contra quam non prævalebunt portæ inferi.

Is, qui talis eſt, habet infallibilem iuriſdictionem, ſcilicet, in decretis fidei, ſuper univerſam Eccleſiam.

Ergò Innocentius Papa X. habet iuriſdictionem infallibilem in decretis fidei, ſuper univerſam Eccleſiam.

*Valerianus deſperavit obtinere à D. Haberkornio poſitionem illius theſis, quapropter cœpit confirmare ſuam.*

*D. Haberkornius incipiebat reſpondere ad Maiorem.*

*P. Valerianus interpellat hoc modo.*

Puto expedire, ſi Dom. Reſpondens, ſemper vel neget, vel diſtinguat alteram præmiſſarum.

*Eſt error in Protocollo. Dicendum fuerat: Vtramque.*

*D. Haberkornius.*

Placet. Et reſpondeo ad Maiorem: ſuccedere Petro dicitur, vel ratione Officij Eccleſiaſtici, vel ratione Apoſtolicæ iuriſdictionis. Poſteriori modo Papam Petro ſuccedere, negamus: ſicut &, quòd ſuper Petrum, id eſt, Petri Monarchicam iuriſdictionem, ſit fundata Eccleſia univerſa, ita maiori limitatâ facilè patet, Papam non habere iuriſdictionem infallibilem ſuper univerſam Eccleſiam.

*P. Valerianus interpellat.*

Probationem debere reſervari, ſuum iam eſſe probare & perficere ſuam theſin.

F 2

D. Ha-





*D. Haberkornius respondit.*

Si Dom. Valerianus velit regere actum, tum ipsum frustra adesse. Ad Minorem respondebat.

*D. Haberkornius volebat probare argumentis id, quod dixerat in responsione.*

Papam Petro succedere non in infallibili iurisdictione Monarchica, neque etiam super Petrum monarchicè ædificatam esse Ecclesiam. Hinc non sequitur Conclusio.

*P. Valerianus.*

Vestra Dominatio negat Innocentium X. succedere Petro in iurisdictione Monarchica. Probo :

Innocentius Papa succedit Petro in illa iurisdictione, quæ conservat Ecclesiam universalem incolumem ad versus portas inferi: Atqui;

Is, qui sic succedit Petro, necessario succedit in Iurisdictione Monarchica à Christo collata ipsi Petro: Ergò.

Innocentius PAPA X. succedit Petro in Iurisdictione Monarchica, eidem collata à Christo.

*D. Haberkornius.*

Respondeo ad Maiorem; Negando illam: Non enim sequitur, quòd qui Petro succedit in Officio Ecclesiastico, quo Ecclesia debet conservari, ille statim habeat Iurisdictionem universalem: quoniam ita plures essent, qui illam iurisdictionem haberent. Ad Minorem.

Papam Petro succedere in Iurisdictione universali Monarchicà, conservante Ecclesiam universalem, simpliciter negamus.

*Minor propositio Valeriani non ponit iurisdictionem Petri esse monarchicam.*

Et dicimus: Quòd talis iurdictio conservans Ecclesiam, nec a Christo fit instituta, nec necessaria: utpote quæ conservatur ex institutione Christi mediatè & limitatè per fideles Pastores, ad hærentes Sacræ scripturæ.

*Pater Valerianus sic respondet.*

Vestra Eruditio negat Christum contulisse Petro Monarchicam universalem Iurisdictionem, ut præfertur: Nos dicimus Iurisdictionem Petri fuisse Monarchicam, non tamen adeò, ut excludat Iurisdictionem Conciliorum & Episcoporum, eidem Petro tamen subordinatorum, prout in sequentibus declarabitur. Accepta igitur Iurisdictione Monarchica in hoc sensu; Probo Christum illam contulisse Divo Petro. Sic argumentor

ex



ex Textu Sacro ; CHRISTVS soli Simoni in Novo Testamento mutavit Nomen : Peto ergò à Domino Haberkornio ; utrum Christus in hac mutatione nominis voluerit significare insignem aliquam prærogationem Simonis , quæ soli PETRO conveniat.

*Dominus Haberkornius.*

Respondeo : Innocentio competere Monarchicam jurisdictionem sine exclusione jurisdictionis in reliquis Episcopis ; Non est quaestio : sed simpliciter negatur , Innocentio competere iurisdictionem Monarchicam. Ad alterum : Negatur consequentia : cui mutatur Nomen , ille eo ipso constituitur Monarcha Ecclesiasticus : sicut quilibet nullitatem huius axiomatis videre potest : & demonstratur exemplo filiorum Zebedæi , quorum nomen mutatum fuit , ut ipsi dicti fuerint Boanerges , id est , filij tonitruum , nec tamen sequitur exinde , quòd illis eo ipso collata fuerit monarchia Ecclesiastica , & patet insuper : quia finis mutationis non statim est intentio monarchiæ , sed longè alterius alicuius causæ ; scilicet , quoniã ille Petrus , à vera petra appellatus , eandem petram Christum confiteri debebat ; prout postea tamquam os omnium Apostolorum eandem confessus est : Math. 16. v. 16. Prærogativa autem monarchica huic nomini non subest ; sed si qua est prærogativa ordinis , zeli & studij. Tandem ex eo patet etiam , quòd patres antiqui mentionem facientes huius mutationis , ne verbo quidem mentionem faciunt prærogativæ monarchicæ.

*Heus mi Haberkorni ! quo te proripis ? Quæsitum est à te utrum Christus in hac mutatione nominis voluerit significare insignem aliquam prærogativam , quæ soli Petro conveniat ? cur non respondes ?*

*P. Valerianus.*

Interpello : non dixi mutationem nominis importare iurisdictionem monarchicam , sed petij à Vestra Eruditione ; utrum illa mutatio nominis significet prærogativam aliquam , soli Petro concessam ? Rogo iterum respondeat ad hanc , quaestionem.

*Dom. Haberkornius.*

Respondeo : Non inferre prærogativam , soli Petro propriam , quo ad rem ipsam : quæ enim per illam mutationem innuuntur , reliquis etiam competunt. Nomen autem Petri , quo ad ipsam appellationem , soli Petro competere , & non reliquis Apostolis facile concedo : distinguo ergò inter



rem ipsam, quæ est communis, & inter nomen, quod est proprium. Sicut & filijs Zebedæi tribuitur appellatio aliqua ipsis tributa, licet res per illam significata, & reliquis competere debeat.

*P. Valerianus.*

Filij Zebedæi non fuere nuncupati Boanerges, sed denominati: nuncupamus personam aliquam illo nomine, quo semper appellatur: v. g. Casarem, Pompeium: denominatur autem Casar Dictator, non tamen nuncupatur Dictator; sic & filij Zebedæi semel duntaxat fuere denominati Boanerges, numquam autem vocati aut nuncupati: quapropter dico, Deum nulli in novo Testamento mutasse nomen, nisi uni Simoni, quem vocavit Petrum.

Quod Vestra Dominat. neget favorem tantum à Deo collatum Simoni, mutati nominis importare privilegium, soli Simoni concessum, iudicent, qui audiunt, & qui lecturi sunt ista.

*D. Haberkornius.*

Respondeo: quomodo filijs Zebedæi competat nomen Boanerges, non ex alijs exemplis, sed ex sola scriptura est iudicandum, quæ testatur Marc. 3. v. 16. & 17. quod & Simoni impositum fuerit Nomen *πέτρος*; & quod filijs Zebedæi similiter imposita fuerunt Nomina *βοανεργές*. Qui contextus aperte innuit, immutationem nominis utrobique parem habere modum: & adhuc nego consequentiam, quod Petro fuerit collata prerogativa monarchica propter impositionem huius nominis.

*Hoc Valerianus necdum asseruit.*

Sicut nec sequitur, quod Paulus fuerit Monarcha, propterea quod antea dicebatur Saulus, & eiusmodi mutatio nominum in sacra scriptura est frequentissima: v. g. Abrahami, Iacobi, qui dictus fuit Israël, & aliorum, Et ipsa sacra scriptura explicat, quid indiget per mutationem nominis in Petro, dum vocat eum *κατακλιτα*, cananitem Marci 3. v. 18. à *κλίτα* quia æmulatus est, & (idem Simon) Luc. 6. v. 15. dicitur Zelotes.

*D. Haberkornius ex altero Simone Apostolo incogitantè de Simone Petro argumentatur.*

Ex quo patet non prerogativam iactatam inferri, sed zelum Apostolicum, qui omnibus debebat esse communis. Et nulla est consequentia.

Petro confertur prerogativa, ergo Monarchica: utpote de qua hoc loco

tan-



47  
tantum queritur; non verò de alia: A genere enim ad certam speciem facile delabi, non valet consequentia.

*Quis homo insanus dicit prerogativam omnem, inferre iurisdictionem Monarchicam?*

*Pater Valerianus.*

Iudicent, qui audiunt, & qui lecturi sunt ista, de Vestra Dominat. responsione ad quaestionem à me factam.

*D. Haberkornius.*

Et ego itidem repeto, & alijs relinquo iudicium, & de meo argumento, & de Patris Valeriani responso.

*P. Valerianus.*

Pergo argumentari ex sacro textu, Matthæi 16.

Ioannis primò Christus promisit mutationem nominis ipsi Simoni, quam contulit Math. 16. significativam illius iurisdictionis, quam ibidem promisit Simoni, cum enim Petrus dixisset. **TU ES CHRISTVS FILIVS DEI VIVI**, primus omnium confessus Iesum à Nazareth esse Messiam, tanto perè expectatum, subiunxit, seu erupit in hæc verba: **Beatus es Simon Bar Iona**, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed **PATER** meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, scilicet, tum actu suscepit hanc nuncupationem: subsequenter verba Christi evidentissimè innuunt, immò declarant prerogativam, soli Petro conferendam; his verbis: **Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.**

Quòd verò hæc promissa iurdictio super regnum cœlorum conveniat, & sit promissa soli Petro, est evidentissimum ex ipso textu: Cum enim essent plures Simones inter Apostolos, distinxit illum Simonem ab alijs, dicendo: **Simon Bar Iona**, scilicet, alloquebatur illum Simonem duntaxat, qui erat filius Ioannis: ut verò & Andreas erat filius Ioannis, ab hoc distinguitur illis verbis; quia caro, & sanguis non revelavit tibi, scil. Christus alloquebatur eum, qui primus professus Christi divinitatem. Demum, ne quis communem alijs faciat promissam iurisdictionem, signat Simonem peculiari novo nomine cum multa emphasi, dicens; **Et ego dico tibi, quia tu es Petrus**: Itaque Christus circumscripsit personam Simonis tam accuratè, ut

nucl.



lus Grammaticus possit formare orationem, præcisius significantem personam aliquam determinatam. Reliqua verba innuunt iurisdictionem, sed prius audiam a D. Haberkornio, si quid habeat contra hanc præcisionem.

Valerianus obtulit D. Haberkornio commoditatem argumentandi de sua thesi, quandoquidem effluxisset tempus eidem Valeriano constitutum.

*D. Haberkornius verò.*

Dicebat velle se prosequi Responsionibus.

*Longè secedebat à positione thesisi suæ. D. Haberkornius responsionis loco debuerat dicere, Christum potuisse, aut non potuisse alloqui Petrum præcisius, quàm fuerat allocutus, sed digressus est ad confutandum illa, quæ Valerianus necdum probauerat, & cum debuisset respondere, cæpit argumentari.*

Respondetur ad hoc argumentum, seu potius discursum; Negando, Petro iurisdictionem de qua controvertitur, vel promissam, vel collatam fuisse, id quod patet primò; quòd mutatio nominis, ut superius dictum fuit, illam non inferat.

Secundò: Nec ex eo sequitur, quia Christus hoc loco cum Petro loquebatur, & quidem solo: Distinguendum enim est inter allocutionem, quæ dirigitur ad ipsius personam, & inter rem, de qua sermo est, quæ ita est comparata, ut quilibet Christianus eam suo modo sibi applicare queat: sicut Christus dicit ad Matthæum solum, c. 9. Sequere me, & tamen res ipsa ad omnes Christianos pertinet. Tertiò; quod dicitur; tibi dabo claves. v. 19. Illud alibi omnibus tribuitur Apostolis, adeò ut ipse Bellarm. l. 4. de Rom. Pontif. cap. 23. §. 2. hoc ipsum explicet de reliquis Apostolls.

Prælecta sunt verba Bellarmini.

Ex quo sequitur, quod si iurdictio monarchica per hoc Petro fuisset collata, tum eadem omnibus Apostolis competierit, quod ipsi Pontificii negant. Quartò, quod dicitur Petrus primò omnium Christum confessus; respondetur, idem sensisse & alios Apostolos; utpote, qui & ipsi interrogati erant à Christo, Math. 16. v. 15. quorum omnium loco respondit Petrus: & quòd alij idem senserint, patet ex Ioann. 6. v. 69. cap. 1. v. 42. 46. 50. & c. 1. Ioann. 1. v. 5. Dum dicitur, ex textu esse evidentissimum Petro esse promissam illam iurisdictionem monarchicam. Respondemus contrarium potius constare ex textu: nam Christus non dicit, se super Petrum ædificaturum Ecclesiam, sed super Petram; longè autem aliud est Petrus à petra; Christo



Christo scilicet appellatus, aliud petra unde Petrus fuit denominatus. Quæ distinctio patet ex lingua Græca, Syriaca, Latina, imò ex ipsa versione vulgata. Absurdum ergo est hæc referre ad Petrum, ac si super ipsum ædificata fuerit Ecclesia. Deinde tota sacra Scriptura clamat, solum Christum esse Petram Ecclesiæ, ut innumera testimonia veteris & novi Testamenti apertissimè demonstrant: cum ergo ipsum Spiritum S. habeamus Interpretem, omni exceptione maiorem, profectò non decet, ipsius interpretatione relicta ad aliam contortam delabi. Primò enim ædificare Ecclesiam, &c est nihil aliud quam solido fundamento Christo scilicet agglutinare & illam conservare per internam fidem, contra peccata, tentationes, Diabolum, & æternam damnationem, sicut constat ex Eph. 2. v. 19. & 20. & 1. Pet. 2. v. 5. & 6. At verò hoc Petro, aut Pontifici Rom. competere nequit; ad eò ut ipse Bellarminus, & alij negent; Papam esse Caput Ecclesiæ quoad interiorem influxum, qui tamen hoc loco apertè significatur. Taceo Patres, qui de Christo hunc locum frequentissimè explicant, & si qui de Petro explicant, intelligunt de illo, quatenus ille fidem habuit communem omnibus Christianis: sensus ergo perspicuus est, quoniam tu Petrus confessus es veram petram, hinc super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc sufficient.

*D. Haberkornius responsionis loco debuerat dicere, Christum potuisse, aut non potuisse alloqui Petrum præcisius, quam fuerat allocutus, sed digressus est ad confutandum illa, quæ Valerianus necdum probauerat, & cum debuisset respondere, cæpit argumentari.*

*P. Valerianus.*

Arctor angustiâ temporis, vobis cras discessuris, & imminente horâ prandij, quapropter multa, alioquin opportunè dicenda transilio, & potiora duntaxat, si quivero, adducam.

Cum primis Dom. Haberkornius, quantum memini, nil respondit ad quæstionem à me factam, scilicet, quid sibi videretur de præcisa locutione Christi ad Petrum, quem alloquebatur seorsum ab omnibus alijs. In hunc enim finem dixi me nolle considerare ex reliqua parte textûs Matt. 16. iurisdictionem promissam Petro, & tamen Dom. Haberkornius suam responsionem direxit ad evertendam doctrinam de promissa iurisdictione: verum ipsa angustia temporis me cogit ad considerationem seriam expositionis allegati textûs Matt. 16. factam à D. Haberkornio.



*Noluit Valerianus permittere D. Haberkornio totalem fugam à scopo disputationis.*

Hic enim textus est velut cardo, super quo volvitur regnum Christi adversus omnes hæreses, detrectantes supremam, & monarchicam iurisdictionem regni cælorum : quapropter tanti interest Reip. Christianæ verus sensus illius textus, ut exinde pendeat salus totius orbis : si enim ex hoc textu constet suprema iurdictio Ecclesiæ, qualem Catholici admittunt, totus Orbis coit in unam sententiam de fide, prout in unam conveniunt omnes illi, qui se submittunt iurisdictioni illi. Sin verò hæc iurdictio euertatur, ab uno Supremo Capite visibili, in plura Capita, necessario inde resultat una colluvio omnium Hæresiarcharum & Hæreticorum : Quandoquidem à fundata Ecclesia Christi, illi soli, & omnes fuerunt excommunicati, tanquam Hæretici, qui quavis ætate ausi sunt emendare ex sacro Textu errores in fide, quos imputabant Ecclesiæ Christi congregatæ, etiam in Concilijs Generalibus.

Quatenus verò ventilatio quæstionis de multiplici sensu illius textus fiat pro rei dignitate; considero ab una parte Ecclesiam illam à primo sui exordio usque ad hanc nostram ætatem, fundatam supra petram iurisdictionis præfata, ab altera parte, Martinum Lutherum ab anno millesimo quingentesimo decimo septimo stantem adversus universam illam Ecclesiam cum interpretatione præfati textus, qualem D. Haberkornius proposuit. Deinde considero finem, quem talis controversia præten dit: nimirum, Lutherus affectabat evertere Ecclesiam, quam supra dixi, & reformare instar vestrarum Ecclesiarum in Germania, in quibus aliquot libros Canonicos seponitis: versionem Vulgatam tot sæculis fundatam damnatis, aliquot centurias textus sacri immutatis : De Septem Sacramentis quinque circiter tollitis : Sacrificium Missæ aboletis, venerationem imaginum, venerationem & invocationem Sanctorum: Purgatorium: suffragia pro mortuis: vota monastica damnatis: opulentissimæ fundationes Archi-Episcopatum, Episcopatum, & alia, cedunt in sortem familiarum Principum, vobis Ministris Ecclesiasticis relicto duntaxat pane arcto, & aqua brevi, sine iurisdictione, & honore, qui deceat Ministros Christi, pro Papa uno, tot habetis Papas, quot sunt inter vos principes seculares, quibus conceditis supremam iurisdictionem in Ecclesias vestras, qui prætenso iure episcopali præcipiunt  
su



fuis subditis illam fidem, quam volunt, & dum conantini reliquam Ecclesiam Catholicam deformare eatenus, & evertere, oboriuntur odia, rixæ, bella, quæ ipsum Christianum orbem susque deque convolvunt.

Lutherus ergo Anno 1517. aggressus tantum facinus, ingenti laborabat & nunc multo evidentius laborat tanta infamia, quantus est honor quam vestris Dominat. defero, vestræ Doctrinæ, humanitati, & bono nomini: laborabat. etenim, & laborat Lutherus ingenti infamia, à blasphemia in Deum & omnes Sanctos; à commercio cum Diabolo; ab ebrietate, & crapula; à deserto Monachatu; a concubinato cum virgine Deo sacrata; à scurrilitate ingenti.

*Interpellat D. Haberkornius.*

Has tantum esse accusationes ad rem non pertinentes, & hoc nostro instituto planè indignas.

*P. Valerianus ad Principem Landgravium Ernestum.*

Rogo Vestram Celsitud. obtineat mihi à DD. Theologis Augustanis, quatenus mihi liceat sic considerare qualitates primi principij Lutheranismi, quemadmodum licuit, & quotidie licet illis colligere ex universa antiquitate Ecclesiastica, quæ possint vitio vertere Romanis Pontificibus.

*Celsissimus Princeps.*

Iussit P. Valeriano pergere in discursu suo, ob temporis angustiam.

*P. Valerianus.*

Itaque pergo: infamia Lutheri est ingens, etiam à libidine & luxuria, à spiritu contumeliæ contra omnes hominum differentias, ne excepta quidem dignitate imperiali: nihilominus si diabolus ipse afferret contra universam Ecclesiam unicum textum sacrum, quem Ecclesia universa violaret, crederem diabolo contra Ecclesiam, nedum Luthero, quantumcunque infami: quapropter cum meis socijs & universa Ecclesia catholica profitemur, protestamurque; nullam esse sub Deo auctoritatem contra sacrum textum; quæstionemve inter nos, & vos nequaquam esse; an debeamus Papæ plus credere, quàm sacris litteris? sed, an debeamus plus credere expositioni textûs, quem commentus est Lutherus, & vos comminiscimini ex doctrina Lutheri, quàm illi expositioni, decreta à Concilijs Generalib. cum Pontifice Rom. quatenus enim Vestræ Dominat. (alloquor DD. Theologos Augustanos) intelligunt, quantæ molis negotium sit: dico ex vestra sen-





tentia, Lutherum & Lutheranos emendare doctrinam Ecclesiæ, & ritus Ecclesiasticos, velut irreperint sensim à tempore Apostolorum ad hunc usque diem.

Istis considerationibus præmissis, vestra explicatio præfati textûs Matt. 16. debet esse ingentis ponderis, scilicet claritatis & evidentiæ, quatenus Ecclesia catholica, toto orbe terrarum diffusa, ad unius Lutheri novam explanationem sinat se emendare ab imputatis erroribus in fide, velut qui irreperint continuis mille quingentis annis.

Porro vix credo D. Haberkornium cum suis collegis post hanc meam exaggerationem postulare à nobis, ut secedentes eatenus ab Ecclesia catholica, ex vi allegatæ explanationis præfati textûs, reformemus nos ad illorum normam, super qua re audiam D. Haberkornium.

*Serenissimus Princeps Ernestus Landgravius Linguâ vernaculâ subnectebat.*

Cum præfixum trium horarum tempus iam effluxerit, & prandium instet, colloquio ante-meridiano finem iudico esse imponendum, finito autem prandio D. Doct. Haberkornio facultas datur, ut ad libitum, quæ suarum partium sunt, proponat.

*Dom. D. Haberkornius.*

Intermittere haud possum, quin prolatis discursibus & accusationibus Valeriani respondeam.

*Serenissimus Princeps.*

Præoccupo, quòd si Magister Aulæ circa medium duodecimæ signum ad prandium fieri curaverit, me abiturum & colloquium deserturum, utpote qui ieiunus ultra permanere nequeam.

*D. Haberkornius respondebat se brevibus absoluturum.*

Serenissime ac Celsissime Princeps. Insolens est consuetudo argumentis non amplius certare, & delabi ad huiusmodi horribiles & absurdissimas accusationes, quibus coram Vestra Celsit, solemnissimè & in optima forma hic contradicimus.

Colloquium hoc in nos suscepimus indagandæ veritatis causâ, & ut Vestra Celsit, solidâ veritate informetur, & à falsitate papistica præmuniatur, salutem ipsius intensissimè desiderantes, sed cum stupore & indignatione audivimus tot iniurias nobis, nostrisque Ecclesijs illatas, quæ hæcenus in publicis scriptis fuerunt refutata luculentissimè, quam refutationem hic pepetimus.

Cum



Cumque res cum re, & argumentum cum argumento, debuisset certare non tantum nil ad solida nostra argumenta est responsum, sed etiam tot accusationes iniquæ fuerunt substitutæ; id quod est tenorem colloquij pij, & in Nomine Iesu Christi instituti, prorsus evertere.

Proinde cum optimo animo, & humillimo erga Vestram Celsit. huc venerimus, & res tam insperatum exitum nunc sortiatur, id quod toto corde deploramus, nostrum non est amplius eiusmodi colloquio interesse, paratissimi ceteroquin ad inserviendum Vestræ Celsit. omnibus nostris viribus, nocte dieque; Reservantes nobis, si quid forsitan prætermisum esset, quod ad Ecclesiarum nostrarum honorem pertineret, facultatem, id omni modo, & tempore præstandi.

*Sereniss. & Celsissimus Princeps Ernestus Landgravius stylo Germanico, linguâ vernaculâ ad dictam protestationem & contradictionem respondit.*

Intellexi à D. Doctore Haberkornio, utpote, qui nomine Collegarum suorum locutus est, quod unanimiter sese resolverint, non progredi ulterius in hoc colloquio, propter imputatos Luthero defectus, & nævos à Patre Valeriano: & quod nihilominus his non attentis Christianæ humanitatis obsequium personæ meæ deferant. Ego sperassem, quod; quemadmodum DD. Doctores Augustanæ Confessionis, recenti memoriâ tenent, neque negare possunt, ipsum, à pluribus, videlicet Imperatoribus, Regibus, Rebuspubl. Proceribus, Magnatibus mundi, agnitum & receptum Pontificem Rom. tanta & multò maiora quàm P. Valerianus Luthero, imputarunt & quotidie absque cessatione, non solum impressis suis libris, & privatis colloquijs, verum etiam in suggestis publicè, communi plebi, inculcare accusationes non verentur; propter retorsiones personæ Lutheri factas nullatenus institutum congressum abrupsissent; verum hoc tam christianum opus absque interruptione continuassent. Quod superest omnem favorem à me expectabunt. Adm. Reverend. autem P. Valerianum oro, ut ante-meridianam hanc Actionem brevi sermone concludat, nec suam gravetur proferre opinionem de ijs, quæ Dom. D. Haberkornius de abrumpendo colloquio locutus est.

*P. Valerianus,*

Ego veritus indignationem D. Haberkornij, præmonui statim ab initio disputationis, me non ægrè laturum, si veritatis indagandæ gratiâ dicant

Pon-





Pontificem Rom. esse Anti-Christum, nos verò Anti-christianos, vel ali huiusmodi; ac proinde rogavi mihi hoc ipsum licere. Quòd verò hæc mea præoccupatio non evitaverit præfatam animorum commotionem, vehementer doleo,

Quòd verò Celsissim. Princeps à me postulet coronidis loco, compendium huius duntaxat inchoatæ disputationis, illud unice desidero & pono.

Coetus Lutheranorum habuerunt exordium à Martino Luthero, supra qualificato.

Illa Ecclesia, quæ habuit exordium à Viro eatenus qualificato, est falsa, fovetque doctrinam falsam:

Ergò coetus Lutheranorum est Ecclesia falsa, fovetque doctrinam falsam. Probabo Minorem ex libris eiusdem Lutheri. Maiorem verò à ratione sana, sive hæc disputatio abrumpatur, sive non.

*D. Haberkornius,*

Respondeo: contradicimus Minori apertissime adhuc dum, & repetimus nostra antehac dicta, merito indignantes; cum ad colloquium placidum & pium simus vocati, quòd in eiusmodi accusationes convertatur, præsertim cum hæc omnia nil faciant ad locum istum sacrum, de quo hæctenus discursum habuimus.

*Hicce finitum est colloquium ante-meridianum.*

Eodem vespere collationata, auscultata & rectificata fuerunt utriusque partis protocollo, quo ad argumentationes, & subsequutum discursum, idque factum per D. M. Georgium Eberhardum Happelium, & Ioannem Maternum Hoffium, ab initio nominatis Scribis: præsentibus & auscultantibus, D. P. Benigno Capuccino: D. Præfecto Ruppelio: D. Secretario Lünche-ro, & D. Adolpho Fabricio, &c.

Hanc itaq; descriptionem siue copiam cum collationato & auscultato illo Protocollo (præloquio, & ad finem appositis scriptis) verbotenus concordare & convenire, attestor Ego.

IOANNES MATERNVS Hoffius, Not. Publ. Caf.  
ac pro tempore Civitatis & Iudicij ad sanctum  
Goarem Scriba, in fidem requisitus. m. p.

IN



## IN NOMINE DOMINI,

Amen.

**N**Otum sit hiſce omnibus, & ſingulis, quòd hodiè feria quarta  $\frac{20}{10}$  Decembris, ſub finem currentiſhuius Milleſimi Sexcentefimi Quinquageſimi Primi Anni, Meridiei hora duodecima. Sereniſs. ac Celiſs. Dominus, D. Erneſtus, Princeps & Landgravius Haſſiæ, Princeps Herſchfeldiæ, Catimeloboci Comes, Decia, Ziegenhaimæ, Niddæ & Schaumburgi, &c. poſtquam antemeridiano tempore ab inſtituto colloquio, inter Reverendum D. Valerianum Magnum, & D. Doctorem Petrum Haberkornium, habito, utraque partium recessit, Prænobiles ac strenuos, Nobiles, Ampliſſimos & Doctiſſimos DD. Dom. Valentinum Edlen de Purgold, Celiſtudinis Suiæ intimum Conſiliarium Aulicum: Iohannem Hermannum Nordeken Conſiliarium Cancellariæ, Iohannem Lunckerum, intimum Secretarium, & me ad finem nominandum Notarium ad ſe, ſuumque conclave clementiſſimè accerſiverit, & dictis ſuis conſiliarijs & Miniſtris conſueta Clementia propoſuerit, ut ipſi, quoniam Sereniſſimi Principis Darmſtadenſis Cognati DD. Theologi, in hodierno colloquio dixiſſent, ſe illud ob allegatas objectiones, porrò non audere continuare, ſed ſilum conferentiæ abſcindere coactos eſſe, nomine Suiæ celiſtud. eos accederent, & inſinuando edicerent, ſe in nonnullam conſiderationem duxiſſe, quod propter illationem R. P. Valeriani tantoperè fuiſſent commoti, ut idcirco ulterius colloquium recuſaverint, cum ad deſideratum ſcopum, ſecundum votum Suiæ Celiſ. necdum perventum eſſet, præcipuæque quæſtiones ſuper eſſent diſcutiendæ: Ne autem ſua Celiſ. fruſtra neos ſumptus videatur feciſſe, & DD. Theologi permoleſtum iter incaſſum impendiſſe; Etenim de facili nulla reſtaret conferentiæ utilitas, & occasio diverſa opindai, & iudicandi diverſis daretur, Celiſ. Princeps eoſdè DD. Theologos clementiſſime rogat (& ut abſque prolongatione rerum, aut alterutrius Patris gravamine, cuncti litigioſi ſermones & abuſus evitentur, ſeſe cum patre Valeriano privatim locuturum offert) ut poſt meridiem hora tertia in ſuo conclavi abſque reſiſu compareant, atque cum Patre Valeriano hanc vnicam Quæſtionem conferant atque diſcutiendam aſſumant. An nimirum Scriptura Sacra ſit unica & inſallibilis NORMA fidei? Iſtud DD. Theologos haud denegaturos Suiæ Celiſtudo ſperat, ſed quia Dei honor, & Scripturæ Sacræ auctoritas exinde promoveretur, tum DD. Theologorum, tum æſtimationi Lutheranae Eccleſiæ intereſſet, tum non minus deſiderium ſuiæ Celiſtud. optatum finem expoſceret præſentiam illorum expectare velit. Hæc omnia & DD. Theologorum reſponſum, ut ego accuratè obſervarem & annotarem, atque in caſu neceſſitatis, aut aliàs requiſitus unum aliorumve Inſtrumentum conficerem, Sereniſſimus Princeps; qui præmemoratos conſiliarios & Miniſtros, uti & me ſcribam, quò major fides peractis adhiberetur, à fidelitate ſibi præſtita, clementiſſimè ad hunc actum abſolvit; me infra nominandum publicum Notarium Caſareum vocavit & requiſivit.



Cum itaque prædicti Celsissimi Principis Ernesti ablegati, & ego Notarius DD. Theologos Augustanæ confessionis in suo conclavi convenissemus, suæque Celsitudinis mentem exponentes proposuissemus, initio statim sese excusarunt; quod nimirum non haberent istud in sua instructione, ut taliter progrederebantur; Ad hæc tam ipsi, quam universæ Lutheranorum Ecclesiæ, adeoque principes & Magnates à D. Patre Valeriano in antemeridiano colloquio infamatos, & summâ iniuriâ affectos, partim propter illa, partim quia acceptatus modus colloquendi aliter esset institutus. Tandem ob alias considerationes, & ob prænominatam Instructionem; sibi difficillimum fore respondere, & satisfactionem dare de gravissimis Actionibus, quæ occurrerunt; quocirca consimile publicum colloquium aggredi, atque in illud consentire non possent. Veruntamen deliberandi tempus usque post prandium petierunt, ut interim de negotio conferrent. Quare omnes ab ipsis redeuntes Clementissimo Principi, ac Domino nostro, responsum retulimus.

Finito Prandio, antenominati Serenissimi Principis consiliarij & Ministri, assumptis, D. Satrapa Reichenbergensi, & D. Georgio Helffrico Ruppelio, & ego Notarius denuò ad DD. Theologos Darmstadios ablegati sumus, ut ipsorum finalem audiremus resolutionem. Qui iterum sese à Patre Valeriano opprobrijs proscisos & summè infamatos conquesti sunt, addideruntque: postquam Pater Valerianus nostris argumentis respondere non potuit, ad iniurias & infamias concitatus transilivit; Se alioquin imperterritos in hisce, vel alijs punctis Religionis concertare cum ipso & discurrere, & etiamnum paratissimos. Equidem ipse D. Doctor Haberkornius, quando colloquium dissuasum est, quantum in se fuit, illud ipsum urserit, existimans quod privatum colloquium futurum esset, attento quod Serenissimus Princeps Georgius Landgravius aliam ipsis instructionem non dedisset, & Sereniss. Princeps Ernestus Landgravius ita conclusisset, atque secundum condictum nihil aliud prætendit: quia verò in eo gravarentur nec excusationem adducere possint, quod primò singula ad calumiam dictaverint, tempusque, quo utiliora potuissent tractari, inaniter perdiderint, hoc intermittendum esse postulant.

Secundò, quod habitum colloquium, quod secundum præscriptum modum privatum alterutrinque ex parte Theologorum esse debuisset, publicum factum sit, obruso ipsis Notario publico, & acta divulganda essent, pariter gravantur: sique in posterum quidquam tractandum fuerit, illud privatum fiat.

Tertiò quandoquidem Sua Celsitudo P. Valeriani infamias publicas permisisset, ubi amicum, pium & placidum colloquium institutum erat, poscunt, ex quo Celsissimus Princeps ipsorum Partes nolit tueri, ab ipsis se nec avertat, nec partes Patris Valeriani defendat.

Quartò; postquam illos D. Pater Valerianus publicè diffamavit, atque opprobrijs & contumelijs atfecit: postulant ut sese limites fuisse transgressum & excessisse in ver-



verbis agnoscat. Aliàs enim magnam difficultatem futuram, ut cum ipso ad novum colloquium congregiantur. Tandem penitùs suæ instructioni contrariari, quòd duo Prædicantes Reformati, alijsque eiusdem Religionis huic colloquio interfuissent, præsuppositis conditionibus, ne reputentur formidare Patrem Valerianum, aut trepidare prædecenti respectu Celsissimi Principis, Ernesti Landgravij, Clementissimi Domini sui, eiusdemque beneplacitum, de proposita quæstione captum colloquium continuaturos sese declarant. Sin autem, quòd virtute sibi factæ instructionis, & ob allegatas causas, nihil penitùs agere præsumerent. His exceptionibus & conditionibus DD. Theologorum Darmstadinorum ad Sereniss. Principem Ernestum, Landgravium Hassiæ, à nobis relatis atque recensitis: Eas non absque alteratione sua Celsitudo audiuit. Et primò quidem Celsissimus Princeps resolvit, sibi videri, adeoque utrique parti expedire, ut ea singula, quæ dicta & facta fuerant, adnotarentur, quò absque ullo præiudicio, utrique parti constare successus negotij possit.

Ad secundum Clementissime Princeps respondit, Notarium post factam ab ipsis difficultatem, interfuisse huic Actui non tanquam Notarium Publicum, sed veluti Scribam, dictata excipientem, intervivisse Rev. Patri Valeriano Magno; sicut D. Happelius, ex parte DD. Theologorum Augustanæ Confessionis, adhibitus fuit.

Ad Tertium respondit Serenissimus Princeps peregrinum sibi & insolitum apparere, quòd prætenditur, suæque personæ imputetur, quasi partes P. Valeriani tenuisset, cum istud neutiquam factum sit; verùm se res principalitèr concernebat; ea de causa, absque partium præiudicio, plura alia immiscere potuisset, ideoque sibi factam accusationem ad Protocollum remittit.

Quartum punctum quòd attinet, nec personam suæ Celsitud. tangerent, responsurus Rev. P. Valerianus cum suis socijs: illud ut intelligeret Celsissimus Princeps cum suis Consiliarijs, Ministris, & Cæsareo Notario ad dicti P. Valeriani conclave ascendit, illisque catholicis Theologis eventum rei proposuit, & responsum ab eisdem expetijt.

Adm. Rev. P. Valerianus, consultatione cum suis socijs in separato loco habitâ, ita rem explicuit; duplicem esse conversationis considerationem, alteram civilem Ecclesiasticam alteram: quantum ad civilem DD. Theologi Darmstadini præter modestiam, amicitiam, humanitatem nil quicquam reppererunt, nec constare sibi posse quòd in aliquo imegissent, propter quòd ipsis tenerentur satisfacere, secus se ad satisfactionem paratissimos: quantum verò ad Ecclesiasticam, prout hoc loco nihil enormitatis occurrit, hostes & inimicos suos se esse noverint: supposito quòd Catholici Lutheranos, & contra Lutherani Catholicos publicè Hæreticos proclamant, excommunicent atque damnent: ut propterea de ijs, quæ evenerunt, conqueri nequeant. Etenim Rev. Pater Valerianus statim sub initium antemeridiani Colloquij

H

prote



58  
protestatus fuerat, permittens ex sua parte, ut Papa Anti-Christus, & ipsimet Anti-  
christi, similibusque Nominibus appellarentur. Econtra Lutheranis paria evenire  
posse; adeo ut nulla causa subsit rem tantoperè exaggerandi.

Quintam Obiectionem quod attinet, Sereniss. Princeps Ernestus dicit; quando-  
quidem Reformati solummodo auscultandi gratia Colloquio interfuissent; nemo  
cum ulteriori instantia suæ Celsitudini, utpote quæ apud Reformatos educatus,  
quicquam præscribere deberet, quid sibi agendum foret; qui insuper instructionem  
Serenissimi Principis Cognati neque vidisset, neque legisset, quam DD. Theologi  
Darmstadini tenebantur contulisse in scriptis, seque Reformatos non ad cōstuden-  
dum aut disputandum, sed tantum ad auscultandum admisisse.

Hanc Relationem DD. Theologis Darmstadinis præfati Domini Consiliarij, Mini-  
stri, & Cæs. Notar. public. [ex clementissimo] Responso suæ Celsiterum attulerunt.

Hi dicti verò DD. Theologi in prima sua responsione & opinione permanserunt,  
& specialiter reperebant, ea omnia suæ intentioni, & acceptæ instructioni contrariari;  
atque idcirco nisi allegatæ conditiones ratificarentur, ad ulteriorem actionem, &  
colloquium non comparituros, propter infamiam præcipue Patris Valeriani, quam  
sibi & universis Ecclesijs Lutheranis inureret, qua tam civiliter, quam secundum  
suum ministerium notati essent, sibiq; porro haud necessarium similia experiri. Ni-  
hilominus ad Celsiss. Principis Ernesti votum se humili conatu, uti obtulissent,  
negotium Religionis prosecuturos, cui sua obsequia omni tempore scriptis deferrent;  
Sperantes sibi illud ipsum non imputatum iri, qui coram Deo & exulto mundo  
excusare eandem rem iusto titulo valerent.

Peraçtâ hæc quoque Relatione, quam fecerunt ijdem Domini Consiliarij, Mini-  
stri, & ego Notarius Cæsareus, Serenissimus ac Celsissimus Princeps Ernestus,  
Landgravius Hassiæ, &c. me clementissimè requirebat iterum, ut ad omnia & sin-  
gula accuratè attenderem & illa adnotarem, atque Protocollo insererem, publico  
de illis Instrumento erecto & confecto. Quod contigit in Residentiæ loco suæ Cel-  
situdinis, Arce Rheinfelsæ, die, Tempore, Præsentia, uti supra dictum est: Indictio-  
ne IV. Anno Imperij & Regnorum Invictissimi & Gloriosissimi Principis ac Domi-  
ni, D. Nostri Ferdinandi Tertij, Romanorum, Decimo Quinto, Hungariæ, vigesimo  
septimo; Bohemiæ, vigesimo Quinto.

Et quoniam Ego Iohannes Maternus Hoffius, Vigore Romano-Cæsareæ Maiesta-  
tis Potestate & Auctoritate, quam publico, ad hunc Actum specialiter Notarius  
clementissimè requisitus, præmemoratis Actionibus, cum bene-Nuncupatis Cel-  
sissimi Principis Ernesti, & consiliarijs & Ministris ipsemet in persona interfui,  
omnia audivi, vidi, & diligentissimè, quantum vires meæ se extenderunt ad Notam  
sump. Hoc Instrumentum ad dictam requisitionem erexi, & propriâ manu sub-  
scripsi: Quod etiam à prænominatis Dominis Consiliarijs & Ministris Suæ Celsi-  
tudinis,



159  
iudicis, ad maiorem rei fidem, subscriptum & subsignatum est. Ego quoque idem  
subscripsi, & consueto meo signeto, Annulique Sigillo subsignavi, &c.  
Ut supra)

VALENTINUS Edler de Purgolt.

L. S.

IOANNES Lunckerus.

L. S.

IOANNES HERMANNUS Nordeck.

L. S.

GEORGIUS Halfrich, Ruppel.

L. S.

IOANNES MATERNUS Hoffius, Notarius  
publicus Casareus & pro tempore Civitatis  
& Iudicij Scriba ad S Goarem in fide re-  
quisitus scr. & subscr. m. p.

L. S.

ER.



# ERRATA.

Pagina.	Linea.	Errata.	Correcta.
19.	26.	Hos	Nos
27.	26.	vestrae	nostrae
32.	5.	valemus	valeamus
33.	18.	propria	propterea
34.	7. ponatur in margine è regione ὑπόθεσις. <i>Suppositio seu fundamentum</i>		
35.	23. ponatur in margine è regione ἀποτόμης. <i>Simplicitèr, seu præcisè.</i>		
36.	7.	ipsa. Cum	ipsa, cum
38.	15.	impressa	suppressa
38.	27.	exemplum	exemplar
44.	4.	succedere non	non succedere
46.	28.	καταίτιω	καταίτιω
47.	30.	ut	at
48.	1.	lus	nullus
48.	5.	sua	eius
51.	6.	quam	quem
51.	<i>ultima</i>	intelligent	intelligent.

FINIS.



154.887

ULB Halle 3  
002 639 602




56.


AB 154.887











ACTA DISPVTATIONIS  
HABITÆ RHEINFELSÆ APVD  
S. GOAREM

Inter

VALERIANVM MAGNV M,  
F. CAPVCCINVM, MISSIONARIVM  
APOSTOLICVM,

&

MAGNIFICVM  
D. PETRV M HABERKORNIV M,  
SS. THEOLOGIÆ DOCTOREM, ET ACADE-  
MIÆ GIESENSIS PROFESSOREM, CVM  
EORV NDEM COLLEGIS.

*In prasentia*

CELISSIMI PRINCIPIS  
ERNESTI,  
HASSIÆ LANDGRAVII, &c.



COLONIAE AGRIPPINAE,  
Apud PAVLV M METTERNICH, propè  
S. Laurentium.

